BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
150
H
27.
NAPOLI

121-124

27-30

Digitized by Google

Digitized by Google

102
P
119

Digitized by Google

ANECDOTA

LITTERARIA

EX MSS. CODICIBUS

ERUTA

VOL. I.

B. R. NEAPOLIS

ROMAE

APUD ANTONIUM FULGONIUM

CIↃ IↃCC LXXIII

PRAESIDUM ADPROBATIONE.

Digitized by Google

VA1 1507921

Digitized by Google

LECTORIBUS ERUDITIS
EDITORES

A DEO libenter excipi a Litteratis Viris, atque adeo iucunda in eorum manus pervenire consueverunt Opuscula illa, quae nondum edita ex Bibliothecarum forulis, ubi latebant, educuntur, atque ex Mss. Codicibus, quibus continebantur,

Digitized by Google

tur , accurate deſcripta , tum emendata , ac illuſtrata in publicam lucem emittuntur , ut idcirco huiuſmodi Anecdotorum lautitiae & *Amoenitates Litterariae*, quemadmodum a Iohanne Georgio Schelhornio , & *Deliciae Eruditorum* , ut a cl. Iohanne Lamio merito inſcribi , & haberi potuerint . Quare nos & horum praeclariſſimorum Virorum veſtigiis , & Ioh. Mabillonii quinetiam inhaerentes exemplis , qui *Vetera Analecta* , & Bernardi Pezii , qui *Anecdota* , & Edmundi Martenii , ac Urſini Durandii , qui *Veterum Scriptorum , ac Monumentorum Collectionem* , tum & *Theſaurum novum Anecdotorum* ,

rum , & Lucae Dacherii , qui *Spicilegium, ſeu Collectionem veterum Scriptorum* , & Burcardi Gotthelffii Struvii, qui *Acta Litteraria ex Mſs. eruta*, & Erneſti Salomonis Cyprianii , qui *Anecdota Eccleſiaſtica, & Latinitatis elegantioris*, & Stephani Balutii, ac Iohannis Dominici Manſii , qui *Miſcellanea* ; tum & Ludovici Ant. Muratorii, qui *Anecdota Latina , & Graeca* , & Ioh. Aloyſii Mingarellii, qui *Anecdotorum Faſciculum* , & Petri Lazarii , qui *Miſcellanea ex Mſs. Libris Collegii Romani* , atque aliorum plurimorum , qui huiuſmodi Monumenta nondum edita ſummo Reipublicae Litte-

Digitized by Google

rariae bono, & emolumento in vulgus protulerunt, facile in id consilium venimus, ut aliquid simile nos modo tentare, tum & perficere statuerimus. Scilicet cum privato studio iamdiu nonnulla ex Bibliothecis, ac Tabulariis publicis collegerimus, cumque etiam nec pauca, nec exilia prorsus ex domestico penu suppetant, hanc modo provinciam veluti otii litterarii causſa suscipere non dubitavimus. Quare id nobis curae erit, ut quae Anecdota a nobis emittentur, multiplici & linguarum, & Scriptorum, & temporum, & argumentorum varietate, ac copia Litteratos omnis fere eruditionis,

nis, ac doctrinae pellicere, & delectare perpetuo possint. Nec etiam illud a nobis negligi umquam patiemur, ut in nostra Volumina ea irrepant Opuscula, quae vel farciminis loco inducta dicantur, vel quae nihil solidum, aut utile praeseferant: quandoquidem ea tantum admittemus, quae vel Auctorum celebritate, vel stili elegantia, vel argumenti nobilitate commendentur, ut nimirum eadem simul & docendo, & delectando Lectores facile devinciant. Quare duo Volumina quolibet anno edere est animus, atque singula pro eorum molis ratione plura, ac varia Opuscula comprehendent. Pri-

mas ducet in unoquoque Volumine aliquod Graecum Opuſculum, tum ſubſequetur aliqua Eccleſiaſtici Scriptoris lucubratio, dein locus fiet Orationibus, Epiſtolis, Commentariis, Carminibus, atque his omnibus partim Latinis, partim Italicis, ac tandem agmen claudet Sylloge veterum Inſcriptionum anecdotarum, quas quidem cum editis collectionibus, ceteriſque huiſmodi Monumentorum promptuariis diligenter conferre non praetermittemus; quamquam in tanta Librorum, Ephemeridum, & Opuſculorum farragine cuncta ſcrutati, ac tuto omnino quid anecdotum ſit, quid non, pronuncia-

nunciare vix liceat. Haec ſingulis Voluminibus perpetuo ineſſe curabimus: Aſt aliquando etiam fiet, ut nec alia diverſa inſuper deſiderentur, ſcilicet Acta ſincera Martyrum, Liturgica, Chronicae, Bullae Pontificiae veteres, Diplomata Imperatorum, & Regum, Diſſertationes, ac alia id genus, quae eruditioni, & hiſtoriae praeſertim mirifice conducant, quaeque vix umquam fiet, ut ſaeculi XVI. tempora excedant, ac raro admodum, niſi Auctorum nobilitate, aut argumenti praeſtantia ſic exigente, ſaeculi XVII. aetatem attingant. Tum unumquodque Opuſculum in fronte Praefationem ge-

 ret,

ret, qua & Auctoris, & argumenti rationes exponentur, ac interdum etiam adnotationes breves omnino, & sobriae accedent, ubi necessitas urgeat, aut rei gravitas, & intelligentia postulet; quibus omnibus fiet, ut Lector multa in promptu habeat, quae ipsi aliunde non sine labore petenda fuissent. Vident, opinamur, Eruditi Viri, quantum provincia, quam aggredimur, Litterariae Reipublicae interfit, ut ab unoquoque & foveri, & commendari mereatur. Spartam hanc sane nos ornare prosequemur, quamdiu vicissitudinum conditione licebit; quis enim de futuris temporibus in tan-

tanta rerum incertitudine reſpondeat? Ceterum ſi ex rerum copia, quae ſuppetit, & ex ſpe candida, quae affulget, huius incoepti duratio metienda eſt, longam Voluminum ſeriem polliceri poſſemus; cum praeſertim hac beatitudine temporum, quae nobis beneficio CLEMENTIS XIV. P. O. M., rei Litterariae Patroni praeſentiſſimi nunc renidet, in eam ſpem erigamur, ut Vaticanae *Bibliothecae* Cimelia, quae inexhauſta rerum lectiſſimarum promptuaria nemo non novit, patere nobis perpetuo velit. Si quis vero Opuſculum aliquod haberet, quod dignum cenſeret noſtris Voluminibus, gratum faciet,

ciet, ſi ad nos perferendum curabit, ut locum in ipſis obtinere poſſit. Sed ſciat nos in acceptandis huiuſmodi Opuſculis ſeveriores futuros, qui & vetera, & ſolida, & elegantia dumtaxat aucupemur. Nos vero, qui ſymbolam conferimus, ita comparati ſumus, ut nihil praeter Romanae Litteraturae decus, & eruditionis ipſius incrementum, quaerendum a nobis cenſeamus. Longe enim abſumus a qualibet vilis rauduſculi, aut emolumenti cupiditate, ut proinde omne, quod erit, lucri in Romanum Bibliopolam Gregorium Settarium, quem cum ad Typographicae rei nobilitatem inſtauran-

randam probe compoſitum videamus, opera noſtra iuvandum, & rerum optimarum ſupellectile inſtruendum ſuſcepimus, manare ſine invidia patiamur. Eius autem partes erunt curare, ut Volumen quodlibet & chartae nitore, & typorum elegantia praecellat. Haec etiam nimirum & litterarum dignitati, & honeſtarum artium cultui tum procurando, tum amplificando mirifice conducunt. Valete ergo, Eruditi Lectores, & conatibus noſtris, ſtudiiſque erga vos favete, & plaudite.

ELEN-

ELENCHUS OPUSCULORUM

Quae in hoc Vol. I. continentur.

I. *Fragmentum anecdotum Orationis Libanii Sophiſtae ad Antiochenos de Iuliani Imperatoris ira, e Cod. Ms. Bibliothecae Mediceo-Laurentianae erutum, & e Graeco in Latinum ſermonem converſum a P. Philippo Angelico Becchettio Bononienſe, Ordinis Praedicatorum.* Pag. 1.

II. *S. Baſilii Magni Epiſtolae ad Theodoram Canonicam, ex Latina Anonymi verſione Fragmentum anecdotum, quod ex Cod. Ms. membr. ſaeculi* XIII. *Bibliothecae Monachorum Congr. Caſinenſis Florentiae, nunc primum in lucem profert Petrus Aloyſius Gallettius Romanus eiuſdem Congreg. Abbas.* 23.

III. *Sermo de Viduitate ſervanda S. Auguſtino attributus, forte S. Caeſarii Arelatenſis,*

tenſis, nunc primum erutus ex duobus Codd. Mſs. altero Bibliothecae Mediceo-Laurentianae ſaec.XI., altero Bibliothecae S. Marci Florentiae ſaec.IX. 41.

IV. *Epiſtola Apocrypha Ieſu Chriſti ad Divum Petrum, ex Cod. Ms. Eccleſiae Tudertinae.* 61.

V. *Aſcanii Columnae Cardinalis Oratio ad Sixtum V. P.M. de ſuo in Urbem reditu ad Cardinalatus inſignia ſuſcipienda, quam ex Cod. Ms. Vaticano nunc primum profert Stephanus Borgia a Secretis Sac. Congr. de Prop. Fide.* 75.

VI. *Iacobi Volaterrani pro Secretariis Apoſtolicis ad Cardinales Quaeſtioni inter eoſdem Secretarios, & Advocatos Conſiſtoriales dirimendae deputatos Actio ex Cod. Vatic. nunc primum eruta.* 115.

VII. *Relatio Legationis Cardinalis Marcelli Cervinii Legati Apoſtolici apud Carolum V. Imp. nunc primum edita.* 137.

VIII. *Aldi Manutii, Paulli filii, Aldi nepotis, de falſa antiquorum Religione, deque Larario Commentatio Hiſtorica, habita in*

in florentiſſima Academia Piſana, atque ex Schedis Mſs. nunc primum in lucem edita. 155.

IX. *Thomae Phaedri Inghiramii Laudatio in obitu Ludovici Podocathari Cyprii S. R. E. Cardinalis, ex Cod. Ms. ſaeculi* XVI. *nunc primum in lucem edita a D. Petro Aloyſio Gallettio Romano Abbate Fontis Vivi Congregationis Caſinenſis.* 273.

X. *Camilli Palaeoti Senatoris Bononienſis Epiſtolae VIII., ex Codice Vaticano, quibus accedit unica Cardinalis Gabrielis fratris.* 337.

XI. *Lettere Italiane di alcuni illuſtri Scrittori de' ſecoli* XV., *e* XVI., *cavate dai loro Originali.* 369.

XII. *Paulli Porcii Romani Elegia ad Anellum Archamonum Equitem Auratum, & Ferdinandi Siciliae Regis apud Sixtum IV. Pont. Max. Oratorem, ex Cod. Ms. membranaceo ſaec.* XV. 413.

XIII. *Canzone di Meſſer Giovanni Andrea dell' Anguillara a Catterina de' Medici Rei-*

Reina di Francia, con tre Sonetti creduti del medeſimo, uno a Carlo IX. Re Criſtianiſſimo, e gli altri due ſulla morte del Card. Vitellozzo Vitelli. 427.

XIV. *Definitio finium Agri Tudertini inter Comitatum Spoletanum, Bevanatem, Aſſiſinatem, & Peruſinum, ex auctoritate Deſiderii Langobardorum Regis, quae ex Chartulario Archivi publici Tudertini ſaec.* XIII. *nunc primum prodit.* 443.

XV. *Sylloge Inſcriptionum Veterum anecdotarum.* 455.

IMPRI-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Rmo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

D. Iordani Patriarchæ Antioch. Viceſgerens.

UT Rmi Patris F. Thomae Auguſtini Ricchinii Sac. Palatii Apoſt. Magiſtri iuſſis obtemperarem, eximiam hanc Collectionem ἀνεκδότων attente, magnaque voluptate perlegi; nihilque in ea, quod aut Fidei Catholicae dogmatibus, aut rectae morum diſciplinae adverſaretur, inveni. Quapropter, quum nihil obſtet, digniſſimum Opus cenſeo, quod typis tradatur, publicique iuris fiat. Ex Bibliotheca Almae Urbis Archigymnaſii v. Nonas Quinctiles an. MDCCLXXIII.

Proſper Petrontus eiuſdem Bibliothecae Praeſes.

IMPRIMATUR:

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ord. Praedicatorum, Sac. Palatii Apoſtolici Magiſter.

FRAGMEN-

FRAGMENTUM ANECDOTUM
ORATIONIS LIBANII SOPHISTAE
AD ANTIOCHENOS
DE IULIANI IMPERATORIS IRA

E COD. MS. BIBLIOTHECAE
MEDICEO-LAURENTIANAE ERUTUM
ET E GRAECO IN LATINUM SERMONEM
CONVERSUM

A P. PHILIPPO ANGELICO BECCHETTIO
BONONIENSE
ORDINIS PRAEDICATORUM.

Digitized by Google

IOHANNIS CHRISTOPHORI AMADUTII

AD CL. PRAESULEM

STEPHANUM BORGIAM

A SECRETIS

SACRAE CONGREG. DE PROPAGANDA FIDE

PRAEFATIO.

PROLVSVRVS nunc ad hoc Fragmentum anecdotum Graecae Orationis Libanii Sophiſtae ad Antiochenos de Iuliani Imp. Ira, nemo opportunior, vel aptior, cum quo ſermonem conſererem, occurrere mihi nunc poterat, quam tu, BORGIA Praeſul doctiſſime, quem ſemper ad fovenda, ac iuvanda ſtudia mea tum gratia, & commendationibus, tum praeſidio, & benevolentia, tum etiam promptiſſima illa tua eruditionum, ac doctrinarum, quas mira memoria complecteris, ſupellectile paratiſſimum deprehenderim, & quo mihi nemo ſit auctoritate, aut iure praeſtantior vel ad opem ferendam, vel ad ea ipſa, quibus tecum ago, ſicubi defecero, caſtiganda Apud Iohannem Albertum Fabricium (a) *exſtat* τῦ . . . . Λιβανίε λόγ@ πρὸς Ἀντιοχεῖς πρὶ τῆς τῦ βασιλέως ὀργῆς, Libanii Oratio ad Antiochenos de Imperatoris (*Iuliani*) Ira, *quae ab ipſo*

(a) *Bibl. Graec. Vol. VII. lib. V. cap. IX. pag. 207. ad 223.*

primum, *Godfrido Oleario interprete*, *publici iuris facta est*, *quippequae in celebri Parisiensi editione Libanii Orationum anno* CIↃIↃCVI. *per Federicum Morellium peracta desideraretur*. *Tum in Fabriciano Opere Oratio haec* XIX. *paragraphis solum constat*, *atque sic desinit*: ἦν μὲν ἂν Φερεπιζόντων .... *At haec Oratio* ἀγαθῇ τύχῃ *detecta est in Codice Ms. Bibliothecae Mediceo-Laurentianae*, *quae Florentiae est*, *in quo non* XIX. *paragraphis dumtaxat eadem continetur*, *sed ad* XXIX. *usque protenditur*, *ut* X. *proinde exhibeat*, *qui adhuc latuerant*, *quique nunc primum a nobis proferuntur*. *Codex*, *quem diximus*, *signatur numero* XIII. *Plut.* XXXII., *& est papyraceus in* 4., *saeculo* XIV. *exaratus*. *Continet Libanii Sophistae*, *& Luciani Opera varia*, *ac Scholiis nonnullis marginalibus adsperfus est ad Opera Luciani*. *Libanii vero Orationes*, *quas continet*, *sunt* XXI., *ac nostra*, *cuius nunc posteriorem partem anecdotam edimus*, *est numero* VII., *& pag.* 64. *occurrit*. *Recensetur hic Codex quam accuratissime a Cl. Viro Angelo M. Bandinio Laurentianae Basilicae Canonico*, *Praefecto laudatae superius Bibliothecae*, *Amico nostro spectatissimo*, *ac Viro*, *cui*, *ringente licet invidia*, *& Graecae Musae*, *& Tyrrhenica Pallas*, *quod eas quam diligentissime ornaverit*, *plurimum debent*, *in Tom.II.* Catalogi Codicum Graecorum *eiusdem Bibliothecae* (a), *cuius proinde humanitati*, *ac munificentiae hoc ipsum*, *quod anecdoti est*, *quodque nunc primum per nos pro-*

(a) *Florentiae Typis Regiis* 1768. *in fol. col.* 136., *& seqq.*

prodit , acceptum referri debet . Siquidem Vir Cl. poteſtatem comiter fecit , me rogante , Viro altero ſane egregio Philippo Angelico Becchettio Alumno Ordinis Praedicatorum (quo Eccleſiaſticae Hiſtoriae Volumina tam ſcite , tam docte , ac tam celeriter conſcribente , alterum Dominicanae Familiae decus Ioſephum Auguſtinum Urſium Card. ampliſſimum , velut redivivum intueri gratulamur) exſcribendi hoc Libanianae Orationis fragmentum anecdotum , quod inſuper ipſi e Graeco Latinum facere libuit ea nimirum ratione , qua nunc ipſum edere nobis religio fuit . Non una eſt ſine ratio vertendorum Operum e Graeca praeſertim in Latinam linguam , ut eruditi norunt ; ſiquidem ſunt , quibus arrideat in eo potiſſimum laborare , ut Graeca verba totidem pene Latinis reſpondeant , quo fideles Interpretes appareant ; tum alii inſuper ſunt , quibus contra in deliciis ſit libertas quaedam , ſive licentia , qua de verbis parum ſolliciti ſenſum orationis dumtaxat exprimere curent . Utrumque verſionis modum vitio teneri , contendit ſane Vir doctiſſimus Paullus Manutius (a) , ac proinde mediam quamdam viam ipſe terendam proponit , qua vitium omne vitetur . Prima verſionum ratio diligentior quidem , licet non elegantior , parum a pleriſque doctorum Virorum probatur , licet non deſint , quibus ipſi magis arrideat , ac inter ceteros nunc citandus venit Praeſul Cl. Michael Angelus Iacomellius Archiepiſcopus Chalcedonenſis , cui in nupera eiuſdem editione

(a) *In Praef. ad IV. Demoſth. Philippicas latinitate donatas .*

Graecae Enarrationis in Canticum Canticorum, *quam Philoni Epiſcopo Carpaſii tribuendam contendit, in Latina verſione magis fidelitas, quam elegantia curae fuit, ut ipſe teſtatur* (a). *Quemadmodum hanc ipſam rationem etiam in metricis verſionibus pro viribus ſervandam proponit Cl. Marchio Scipio Maffeius, & cum eo Ioſephus Taurellius* (b). *Altera vero, quae verborum anxiam curam negligit, & ſententiam eleganter reddere enititur, potior fuiſſe videtur ipſis etiam veteribus, Horatio nempe, Tullio, tum & ipſi Divo Hieronymo, qui nimirum Epiſtolam ad Magnum* de optimo genere interpretandi *conſcripſit, ut taceam inter poſteriores Scriptores Marſilium Ficinum, qui & ſententias dilatavit nonnumquam, vel etiam contraxit praeſertim in Triſinegiſti interpretatione, teſte Daniele Huetio* (c). *Haec etiam ſane receptior interpretandi ratio a Cl. Becchettio noſtro ſervata eſt, quam nemo proinde criminetur. Tu vero,* Borgia *Praeſul doctiſſime, qui ad hanc litem dirimendam iudex rite aſſurgas, haud hanc ipſam forte vertendi rationem improbabis, quin eadem potius apud te elegantiſſimum Scriptorem Becchettium noſtrum, iam tibi apprime carum, ſpectatumque, quammaxime com-*

(a) *In Praefat. §. IV. pag. XX. & §. V. pag.* XXXIII.

(b) *Traduzioni Poetiche, e ha tentativi per ben tradurre in verſo eſemplificati col volgarizzamento del I. Lib. dell'Iliade, del I. dell'Eneide, e di alcuni Cantici della Scrittura, e di un Salmo. In Verona* 1746. *Prefaz. pag.* 3. *ad* 30., *& pag.* 33. *ad* 53.

(c) *Lib. de Clar. Interpret. pag.* 270.

ommendabit . Fruere interim , Patronorum , Fau-
orumque meorum optime , hoc Graecarum delicia-
um munuſculo , atque eo libentius frue e , quod
unc primum ad te vix in auras eductum procedere
eſtiat . Morellium certe latuit , cuius editionem ſu-
ra laudavimus , ac Fabricium quinetiam , nec ſa-
e innotuit ipſi Antonio Bongiovannio , etſi XVII.
lias nondum prolatas Libanii Orationes ex Cod. Bi-
liothecae Divi Marci Venetiis ediderit (a) *; an*
diturus eſſet Vir Cl. Leonardus Adamius Vulſinien-
is , qui Libanii Graeca Opera auctiora , atque emen-
datiora cudenda paraverat , ut iam in Praefatione
noſtra ad Leges novellas V. aneçdotas Impp. Theodoſii Iun., & Valentiniani III. (b) *monui-*
mus , affirmare haud poſſumus , cum eius ſchedas in
Bibliotheca Card. Ioſephi Renati Imperialis , quae
Romae eſt , adſervatas nunc conſulere haud liceat .
Interim libenter accepimus a Viro Cl. Ioh. Iacobo
Reiskio (*cui tam ſplendidam , ac tam accuratam Con-*
ſtantini Porphyrogenitae Caeremonialis Aulae Byzantinae , *tum Graecorum omnium Oratorum , alio-*
rumque Operum editionem debemus) *novam Lipſiae*
meditari omnium Libanii Orationum impreſſionem ,
pro qua rite exornanda multos iam ſibi paraſſe Mſs.
Codices , alioſque conquirere , ac ſcrutari , nobis in-
ſuper innotuit . Quare gaudendum nunc nobis facile
ſentimus , fragmentum hoc noſtrum Viro tam ſedulo ,
ac tam erudito nec inutile , nec iniucundum , quem-
admodum & aliis huiuſmodi ſtudiorum cultoribus ,

 exſti-

(a) *Venetiis* 1754. *ex Albritii Her. F. in* 4. *Typographia Ioban. Bapt.* (b) §. VIIII. *pag.* XXII.

exſtiturum. Ceterum, BORGIA Praeſul doctiſſime, feliciter vale, & aliud Libanianae Orationis fragmentum ineditum in altero horum Anecdotorum Volumine proferendum propediem exſpecta.

Datis ex Typographio Propagandae Fidei Kal. Decemb. anno a Chriſto nato CIↃIↃCCLXXII.

FRAGMEN-

FRAGMENTUM ANECDOTUM
ORATIONIS LIBANII SOPHISTAE
AD ANTIOCHENOS
DE IULIANI IMPERATORIS IRA.

Ἦν μὲν οὖν φρονπζόντων πόλεως ἀνδρῶν πάλαι ταῦτα ἐσκόφω, καὶ μὴ δὲ τὸν ὕπτιον Κωνσάντιον ὠφελεῖδεῖν ὑβριζόμενον, λογιζομένους (*) ὡς βασιλέως ἁπλῶς, κἂν ἡ γνώμη μετέχῃ ῥαθυμίας ἥ γε τύχη τιμῆς ἀξία. Εἰ δ' ἦν ὑδὲν ἀπεικὸς μὴ πὼν ἄλλων καὶ τοῦτο ἀμεληθῆναι, παρειληφότος γε τὴν ἀρχὴν, τοὺς πάντας ἐν ἅπασι τῆς γῆς μέρεσι παρειλθόντος, ὑδὲν

XX. Oportebat igitur eos, qui bene, prudenterque de patria cogitarent, in id maxime incubuiſſe, ut haec multo antea prohiberentur, neque Conſtantius iniuria quondam affectus deſpiceretur; quamvis enim ita ſocors eſſet, ut nullius pretii homo videretur, tamen dignitas, quae ei ſorte obvenerat, ſummo honore habenda erat. Quod ſi non adeo turpe fuit, & hoc cum aliis neglexiſſe: certe poſtquam imperium (Iulianus) ſuſcepit, atque omnes, quotquot ubique terrarum verſantur, dignitate ſuperavit, nihil eorum, quae vel ad ornatum, vel ad gloriam

(*) Ita Codex Ms., ſed forte legendum λογιζομένων, quod reſpondeat alteri, quod praecedit, φρονπζόντων. *Amadutius*.

ὐδὲν ἔχειν τῷ κόσμῳ ἀπαυτόντων ὀλιγωρεῖσθαι. Ἀλλὰ μάλιστα μὲν ὅπως φοβουμένοις τὸ κοινὸν φόβῳ φοβεῖλεῖν τὰς ὕβρεις, τότε δὲ διαφυγόντας τὴν γνώμην ἐπ' αὐτῆς κινηθῆναι τῆς ἀσελγείας, ὅλως δὲ λαμπρὸν εἶδεῖ τῷ τρόπων ἡθοποιίαν τὴν μετάστασιν, καὶ τὴν πόλιν ἀμείνω καταλαβεῖν ἁρμονίαν, ὥσπερ τινὰ κιθαρᾳδὸν εἰς ἄκρα κιθαρῳδῶν χεῖρας ἐλθόντα, ταύτην δὲ τὴν ἁρμονίαν διὰ πάντων μὲν τῶν κοινῶν, διὰ πάντων δὲ τῷ εἰδῶν πεπάσθαι ⁊ ψυχῶν καὶ διαίτης, ⁊ ἀνδρῶν, καὶ παίδων, καὶ γυναικῶν.

Ἀλλ' ὅπ μὲν ἐκ τῆς ἡμετέρας μωρίας συμέσπ τὴν ἀρχὴν τὸ μίσος, ⁊ πρῶτον ἠυξήθη δεδηλώται, συγχωρῶ δὲ εἰ δοκεῖ τύχης εἶναι τὸ ἔργον ἀ τὰ δίκαια ποιούσης, τί ἂν δεόμεν; Ὥσπερ κακοὶ ναῦται κρατηθέντες τὸν ναῦν ὑπὸ τῷ

riam conducunt, omittii oportebat. Maxime autem, cum nondum data eſſet occaſio, timore ſaltem ab iniuriis abſtinendum erat; ea vero elapſa, animos tam improba agendi ratione commoveri opus erat, atque omnes omnino cives palam oſtendere, ſe novam, eamque honeſtiorem vivendi rationem ita amplexos eſſe, ut ſuavior quidam veluti concentus, ac ſi excellens quiſpiam citharam pulſaret, in tota urbe audiretur, qui & omnes ſimul, & ſeorſim ſingulos tam homines, quam pueros, & feminas, & quoad animum, & quoad mores attingeret.

XXI. At vero certum eſt vitio noſtro & prima odii ſemina iacta fuiſſe, & procedente tempore mirum in modum ea exereviſſe: ſed ſi caſu, velut adverſo numine, id totum contigiſſet, quid faciendum nobis eſſet? Tamquam mali nautae exorta tempe-

τῷ χειμῶνι ἢ τίνα φρόνοιαν ἀνησήσομεν τῷ κλύδωνι; Ἐμοὶ μὲν τοῦτο δοκεῖ, καὶ τοῦτο βέλτιστα τῷ παρόντι λόγῳ καμοῦσῃ βοηθήσαι τῇ πόλει, καὶ παντ' ὄσα ἐπετίμησα φρὸς μίαν ταύτην τέχνην σωτηρίαν. Τίνα δὲ τὰ φάρμακα; Φανῶμεν ὡς ἀληθῶς ἀλγοῦντες, φανῶμεν ὡς ἀληθῶς πενθοῦντες, ἀπολογησόμεθα λύπῃ καὶ σωφροσύνῃ, καὶ τοῦτο ἓν ἔστι τῶν ἐγκλημάτων ὡς φεύγοντα μείζον ἀσκῶμεν τοῦ δίοντος, καὶ φοβερὸν δόξαν δώσατε τῇ πόλει.

Μὴ μοι νομίζετω τὴν αὐτοῦ κατάφευσιν ἀσφαλὲς εἰς ἀπολογίαν ἀρκεῖν, ἀλλ' εἰς ἀχθηδόνα κοινῇ σχηματίσωμεν τὸ ἄδυ, καὶ μιμησάσθω πένθος οἰκίας ὅλη πόλις, κλείσωμεν βραχὺν χρόνον

tempeſtate navim a fluctibus agitari pateremur, an potius conſulendum ei, ne malo fato mergeretur, exiſtimaremus? In hanc certe ſententiam eundum mihi eſſe intelligo; id ſiquidem praeſenti oratione, cujus totum meum eſt opem civitati in maximo periculo conſtitutae conferre, probatur, ut ea omnia, quae vosmet arguens congeſſi, ad hoc unum propria quadam vi tendere videantur. At vero quibus mediis ad hunc finem adſequendum utemur? Scilicet in id incumbamus, ut revera videamur ſummo animi moerore, ſummaque triſtitia affecti: dolor, & modeſtia nos defendant, atque tueantur: hoc enim unum eorum eſt, quae nobis crimini vertuntur, quod nempe plus quam deceat, ſagaces ſimus, nihilque inveniatur, quod civitati timorem iniicere poſſit.

XXII. Ne quis vero cenſeat, mihive proſuadeat, argento, veluti quoddam triſtitiae ſignum iſtud eſſet, tantam vim ineſſe, ut defendere nos queat: neceſſe eſt enim, ut tota omnino civitas imitando luctum privatae do-

mus,

χρόνον τὸ θέατρον, καὶ δεήθωμεν τῶν ὀρχηστῶν τούτων, καὶ μίμων μεταδόναι καὶ τοῖς ἀσυγείτοσι τῶν παρ' αὐτῶν ἀγαθῶν. ἡμῖν δὲ τρέψαι τὸ θέατρον ἄνευ πέψεως, διαγαγεῖν τὰς τῶν ἵππων ἀμίλλας εἰς ἐλάττους συσείλωμεν ἄθλους, ὀξὺ ἀντὶ τῶν ἑκκαίδεκα τάξαντες. τὸ πολὺ καὶ μάταιον τοῦτο φῶς καὶ τρυφὴν ἄχρηστον δεικνύον τὸ πρὸ τῶν βασιλείων κρεμάμενον εἰς πολλοστὸν τοῦ γοῦν ὄντος καταστήσωμεν. Δικάσωμεν ἡμῖν αὐτοῖς, ἵνα μὴ βασιλεῖς ἡμῖν. ὑπέχωμεν ἑκόντες ποινείαν, ἵνα μὴ μείζω πάθωμεν ἄκοντες, οἰκείᾳ ψήφῳ τὴν ἐκείνου κωλύσωμεν. Κἂν οἱ τῶν θεάτρων ὀξύρρυτμοι χαλεπαίνωσι, πείθωμεν αὐτοὺς ὑπηκόους τὸν κρῆγον. ὁ προσε-

χρόνον τὸ

mus, ita componatur, ut moeroris veſtigia ubique appareant. Claudamus ergo ad breve tempus theatrum, & rogemus eos, qui nos ſive ſaltibus, ſive mimicis ſpectaculis oblectare conſueverunt, ut extra urbem ſe tranſferant, atque vicinis noſtris ſpectanda exhibeant, quae ab ipſis admiratione digna patrantur: nos vero aeſtatem ſine ullo oblectamentorum genere tranſigamus, quaeque fieri ſolent equorum certamina, ita numero contrahantur, ut ſexdecim ad ſex tantummodo redigantur, & vana illa luminum copia, quae ante imperatorias aedes, ad nimiam, eamque penitus importunam apparatus magnificentiam appoſita videtur, ad minimam earum, quae nunc conſpiciuntur, partem, quoad fieri poterit, reducatur. Itaque noſmet reos fateamur, ne id ab Imperatore fiat; ſponte aliquid patiamur, ne inviti maiora ſuſtineamus, & ſententiam in nos dicendo, quominus decretum ab illo in nos feratur, impediamus. Quod ſi id nimis grave videatur his, qui theatro addicti ſunt, ſuadeamus

cos,

χόντων δ' ἢ μηδεὶς ἔστω λόγος. Δεινὸν γὰρ εἰ τούτοις μὲν τῆς κοινῆς σωτηρίας χαριούμεθα, καὶ τὸ μὴ λύπαδαι σοὶ ὁμολογοῦντας ἄνευ τῶν ἐπὶ σκηνῆς μὴ δύνασθαι ζῆν.

Ἔμφροσθεν τὸ λύσαι τὴν βασιλέως ὀργὴν σκοπῶμεν, εἰ γὰρ δὴ δεδικαίωμεν σάσιν, καὶ τοῦτ' ἐγκαλεῖ τῇ βουλῇ βασιλεύς, εἰ ἔστι κακῶς τῇ πόλεως φρόντισμεν, ὡς ἀνάγκην εἶναι σοὶ ἀμείνοις τοῖς πολλοῖς ἀκολουθεῖν, καὶ τοῖς ὄχλοις ἐκποιεῖζειν ἡδονὰς, ἢ εὐθὺς ἀπολωλέναι. Ἀλλὰ μὲν ἄγαν παμπόλλοις εἶναι νομίζομεν, τὰς ἐν λιμῷ ζητοῦντας ὀρχήσεις· ἀλλ' ἀνθρώπων ἐκ τοῦ κυβεύειν ἐκπορῶντων κομιδῇ τίνων εὐαριθμητῶν καὶ τούτων ξένων, ἐφ' οἷς ἔχομεν τὸν τῆς ξε-

πλάσ-

eos, ut tempori pareant: ſi vero autem dicto audientes non fuerint, non eſt, cur eos longa oratione detineamus. Turpe enim eſſet, ſi contra commune bonum illis inſerviremus, nec dolore afficerentur, qui ſine publicis ſpectaculis, & ludis ſe vivere non poſſe fatentur.

XXIII. Itaque antequam Imperatoris ira ſolvatur, quodnam conſilium capiendum ſit, videamus; nimis quippe ſeditionem timuimus, prout Senatui obiicit Imperator, & tam male civitati praefuimus, ut neceſſe fuerit potiorem partem multitudini obtemperare, & vel populo voluptates ſuppeditare, vel continuo mortem oppetere. Sed intelligo nos ita animo comparatos eſſe, ut exiſtimemus plurimos eos eſſe, qui caritatis tempore choreas, & ſpectacula quaerant, cum contra ſi diligenter recenſeantur omnes, qui e ludo exeunt, inveniemus eos non ſolum paucos eſſe, ſed etiam hoſpites, ideoque eos ipſos, quorum cauſſa lege ſancitum fuit, ut hoſpites ab urbe expellerentur, quamvis hanc legem ipſi contemnendam pu-

πλασίας νόμον, ἣν θεασαιῶνται, οἶμαι μὲν ἂν εἶξειν ἅπαντας τοῖς ὑμῖν δοκοῦσιν. Ἂν δ' ἄρα τις καὶ ἡμῖν θέρυβος, σῶπι τοῦτο τὴν πόλιν τὸ φοβερὸν· ὡς πόλλ' ἂν ἄξιον ἀκοῦσαι τῶν ἐνθεῦτεν ἀναβαινόντων· ὅτι Ἀντιοχέων οἱ μὲν τὰ κοινὰ θεραπεύοντες μεταῤῥυθμίζουσι εἰς καρτερίαν τὴν πόλιν· ὁ δῆμος δὲ ἀνίπτειν, καὶ εἶσιν δεῖν ἢ τρυφᾶν, ἢ σαυτὸν ἀζῆν, ὡς ἥδιστον αἰῶνον τοῦτο εἶναι νομίζων.

Εἰ μὲν ἀπόνως φόβου παντὸς φανερᾶς τὴν μεταβολὴν ἐπηγγέλλου, ἴσως ἂν ὀρθῶς ἐνελάβετο θυμὸς, ζεόντως τηλικούτου, ἢ τῷ ἀπ' αὐτοῦ προσδοκωμένων ἦν αὐτοὶ τῶν ἡδονῶν τὶ θερικόψωμεν, τάχ' ἂν ἐμπλήσαιμεν τὸν ἐλαύνοντα δαίμονα τὰ ἡμέτερα. Οὐκ ἂν ἐν φιλομεῖ ἐμβα-

putent; quamobrem exiſtimo, omnes omnino, ſi vobis videretur, obtemperaturos. Quod ſi caſu tumultus inde oriretur, hoc ipſum, quod adeo timendum videtur, nos a periculo libera ret: ſiquidem prodeſſet audire eos, qui hinc egreſſi eſſent, quomodo Antiochenorum aliqui, dum communia exercitia peragunt, nullum non lapidem movent, ut civitatem in tuto ponant: populus vero obnititur, & putans vel ſeditiones, vel voluptates ſolummodo quaerendas ſibi eſſe, de ceteris non bene auguratur.

XXIV. Si vero, cum nullum timoris ſignum palam a vobis oſtenderetur, auctor eram, ut ex hiſce ſedibus migraremus, forte quamvis vehementi perturbatione commotus id iure aiebam, cum tantus ille eſſet, qui ira inflammatus exſpectabat, ſi quidpiam e noſtris voluptatibus abſcindendo, forſan daemonem illum, qui noſtra exagitat, ſubigere-

ἐμβαλῶμεν εἰς κακόν τι τὴν πόλιν, ἀλλὰ σεισμένην στήσομεν. Σταίη δ' ἄν, ὦ ἄνδρες πολῖται, βεβαιῶς, εἰ δὲ τῶν μὲν εἰρημένων ἔστι μεῖζον ἐνίοις δὲ προσαντες τοῖς πλήθεσι δὲ καὶ νῦν νεωτερεῖς τε καὶ θαυμαστέον. Εὖ γὰρ εἰδέναι χρὴ πεθ' ὡς ὅτε πρωτεῖς ὅτι γῆς ἐρρίμμένοι, ὅτε κλάδοις ἐλαιῶν αὐτοῦντες, ὅ στεφανοῦντες, ὅ βοῶντες, ὅ προσβάλλοντες, ὅ ῥήτορα δεινότατον πέμποντες, σβέσετε τὴν ὀργὴν ἣν μὴ παυσάμενοι τῆδ' ὑθλῶν τούτων.

Δοῦτε τοῦ Διΐ, καὶ τοῖς ἄλλοις θεοῖς τὴν πόλιν σφεῖ ὧν ὑμᾶς πολὺ πρὸ τοῦ βασιλέως Ἡσίοδος, καὶ Ὅμηρος διδάσκει αὐτὺς ἐκπαιδῶν· ὑμεῖς δὲ ἦν πεπαιδεύσθαι μὲν ἀξιοῦτε τιμᾶσθαι, καὶ παίδευσιν καλεῖτε καὶ ἔστι, σφεῖς δὲ

geremus. Non ergo bene conſtituram civitatem in aliquod diſcrimen impellamus, ſed potius agitatam firmemus. Fortiter autem ſtabit, o Viri Antiocheni, ſi eorum, quae huc uſque dicta ſunt, quod melius aliquibus, multitudini autem moleſtum videtur, prudenter eliget, ut admiratione digna efficiatur. Illud enim oportet perſuaſum vobis eſſe, quod nulla alia ratione extinguere Imperatoris iram poteritis, niſi ab hiſce nugis abſtinueritis, quamvis aut proni in terram voſmet iacietis, aut ramis olivarum, vel coronis, vel clamoribus, vel honoribus, vel etiam per aliquem diſertiſſimum oratorem id petieretis.

XXV. Fidite hanc urbem Iovi, & aliis Diis, quos Heſiodus & Homerus diu ante quam Imperator, ſtatim, nempe ab ipſa pueritia, vos docuit: vos autem, quod optime inſtructi fueritis, dignum honore cenſetis, nec dedignamini tam diſciplinae, quam poematum meminiſſe, cum interim in rebus maximi

δὲ τῶν μειζόνων ἐπέρεις χρῆσθε διδασκάλοις, ἢ ὧν κεκλεισμένων ἔδει σέναν ἀνεωγμένα φεύγετε. Εἰ δ' ὅταν Πλάτωνος, καὶ Πυθαγόρου μνησθῇ τις τοῦ ματῆρα, καὶ τὴν γυναῖκα, καὶ τὴν ταμίαν, καὶ τὸν μάγειρον, καὶ τὸ πάλαι ταῦτα πεπεῖσθαι προτείνεσθε, καὶ ὐκ αἰσχύνεσθε ταῦτα αἰσχυνόμενοι· ἀλλ' οἷς ἔδει νομοθετεῖν τούτων ἐφόλκια γίγνεσθε, καὶ μεγάλην ἀνάγκην ἡγεῖσθε τὸ κακῶς δι' ἀτέλειαν φρονεῖν τὸ πάλαι φρονεῖν κακῶς· ὥσπερ ἂν εἴ τις τὴν ὥραν ἐν τῇ νεότητι, πεπεισμένως καὶ δι' ἐκ τῶν ἄλλων ἡλικίων φυλάττοι τὴν νόσον.

Καὶ τί δεῖ μακρηγορεῖν; Νυνὶ γὰρ ὑμῖν αἵρεσις, ἢ μισθόμενοι διατελεῖν, ἢ δίπλην κερδάναι, τότε τοῦ κρατοῦντος κτησαμένοις δύμενες,

ximi momenti aliis utamini praeceptoribus, atque abhorreatis ab ea doctrina iam vobis patefacta, cuius ignoratio maximo vos dolore afficere deberet. Scilicet quando quis aut matris, aut uxoris, aut herae, aut coqui Platonis, sive Pythagorae meminerit, excusatione dignum censetis, quod hisce rebus quondam aures adhibueritis, & miror valde, quod hanc erubescentes, vosmet non erubescatis; sed quibus oportebat vos legem ferre, eorum assecłae effecti sitis, & ita maxime necessarium ducatis male sapere, ut etiam valde opportunum vobis videatur, & cum imperitis hoc agere, ut male sapiatis: adeoque similes ei estis, qui cum iuventutis tempore sanus, atque aspectu decorus fuerit, deinceps per totam vitam infirma utitur valetudine.

XXVI. Sed quid pluribus verbis opus est? Nunc vobis optio datur: aut odio habiti perficite, quae vultis, aut duplici ratione lucramini, nempe & Imperatoris benevolentiam adipiscen-

καὶ γνῶσι τὺς ὄντως τὸν οὐρανὸν ἔχοντας. Μόνοι γὰρ ὑμεῖς ἐν οἷς καθεύδετε, περδαίνετε, καὶ χῆμα διδόντων ἔχοντες ἔργῳ τῷ λαμβανόντων ἔστατε. Ἀλλ' οὐδεὶς ὑμᾶς μεταῤῥήτει λόγος οἶδα· καὶ δι' τοῦτο σιωπήσω, ἵνα μὴ ταναλλως μηκύνωμεν, ἀλλ' ὅπως τάχιστα ἐγγὺς ᾖ, τὰ δεινὰ τῷ βασιλεῖ μὴ πέρσας ὡς πολεμίαν μεταχειρίζηται τὴν πόλιν. Μὴ μοὶ θορυβάντες ὀλύρησθε, φάσκοντες καιρὸν ἥκειν τῶν λόγων, ὧν γὰρ αὐτοὶ καταφρονοῖτε, πῶς ἂν ἀξιοῖτε παρ' ἐκείνῳ δυνάσθαι;

Πρὸς δὲ τοῦτ' ἀδικεῖσθαι νομίζοντας εἰ πάντε ἄλλων αἰτιῶν ἀμετέχοντες, καὶ θύοντες θεοῖς, μὴ τῶν ἀσεβούντων τε καὶ τἄλλα ὑπ' αὐτῶν ζημιοῦσθαι, ἐμοιγε μὲν οὐκ ἔστι λόγον, τὸν

ἐκεί-

ſcendo, & cognoſcendo eos, qui revera caelum poſſident. Pene enim vos ſoli inter mortales eſtis, qui lucramini, dum obſequium praebetis, & cum videamini aliis donare, reipſa accipiis. Sed iam video, quod nulla orationis vis diuovere a veſtra ſententia vos poterit, atque ideo ſimul conſilium capiamus, ne fruſtra tempus protrahatur, & quando Imperator prope fuerit, urbem hanc, tamquam regionem hoſtilem magna vi aggrediatur. Ne vero mecum, quotquot hic adſtatis, conqueramini, dicendo, quod tempus profecto adveniet, in quo ad orationes confugere poteritis: quas enim contemnitis, quomodo eaſdem dignas exiſtimetis, quod apud ipſum Imperatorem aliquid poſſint?

XXVII. Ad eos autem, qui putant ſe iniuria afficiendos, ſi cum criminis aliorum expertes omnino fuerint, atque inſuper Diis ſacra fecerint, nihilominus puniantur cum impiis, quia etiam nonnulla ab eis ſuſtineant, nihil ipſe dicam, ſed tantummodo

ἐκείνῳ δὲ πρὸς ἐμέ. Καὶ γὰρ αὐτὸς δικηρῶν ὑμᾶς ἀπολογούμενος πρὸς αὐτὸν· τῷ δὲ εἰ ἔπος ἤρκει τῷ τὴν δάφνην ἀπὸ τῶν μουσῶν λαβόντι, δίδυς γὰρ εἶναι πάντας ὑ πονηρούς, οὐκ εἶα θαυμάζειν, εἰ μὴ τῶν κακῶν ἀπολοῦνται· πολλάκις γὰρ ἡ σὺμπασα πόλις κακῶ ἀνδρὸς ἀπώλετο, καὶ ταῦτα οὐκ ἐνὸν ἀναιρεῖσθαι. Οὕτω πάλαι τὸ πρᾶγμα τοῦς ἔχοντας. Τίς γὰρ οὐκ οἶδεν ὅπως μὲν ἀνελώθη τῷ λοιμῷ τῶν Ἀχαιῶν ὁ στρατὸς διὰ τὸν Ἀγαμέμνονος ἁμαρτίαν, οἷα δὲ ἔπαθον ἀποπλέοντες οἴκαδε; Διὰ τὴν Αἴαντος ἀδικίαν οὐκ Ἀθηναῖοι μὲν τῆς πρεπλέους εἰς τὰς ἱερὰς ὕβρεως ἔτισαν κοινῇ τὸν Ἄκλον. Θηβαῖοι δ' ἐνόσουν Οἰδίπου κτείναντος Λαΐου, καὶ ταῦτα ἐνίσταται οὐκ εἰδότος. Τοῦτον οὖν ὁρῶν οὕτω

modo referam ſermonem, quem ipſe Imperator mecum habuit. Cum enim vos apud ipſum defenderem, & reos ab innoxiis diſcernendos dicerem, ipſi ſatis erat mihi obiicere carmen illud accipientis laurum a Muſis: concedens enim vos, non omnes eſſe improbos, attamen mirandum non eſſe dixit, ſi cum impiis omnes peribunt: ſaepe enim

Univerſa civitas unius hominis cauſſa vaſtata eſt;

& hic non licebat impudenter agere. Ita quomdam res certe ſe habebat. Quem enim latet ob unum Agamemnonis peccatum univerſum Achaeorum exercitum peſte vaſtatum fuiſſe, & qualia perpeſſi fuerint, qui domum reverſi ſunt? Ob Aiacis vero iniuſtitiam Athenienſes poenam iniuriae, qua Heroas afficit, communiter non ſolverunt: ſed cum Oedipus Laium occidit, Thebani omnes miris modis vexati fuerunt, quamvis ignoranter id patraverit. Cum ergo Impera-

ωδὲ τοῖς κρείττοσι πεκρατηκότα τὸν νόμον φυλαξειν ήσει καθήμενος ἀπὸ τῶν φαύλων ὄντων πολὺ πλειόνων τὰς χρησις; Βουλόμην μὲν ἄν, πιστεύειν δὲ οὐκ ἔχω.

Ἕως οὖν ἔτι διαβαίνει ποταμὸς, καὶ βλέπει πρὸς τὴν τῶν Περσῶν δύναμιν, καὶ σκοπεῖ περὶ τῆς εἰσβολῆς, καὶ πῆ, καὶ πότε, καὶ πῶς ἔπιθοιτο τοῖς πολεμίοις, ποιήσομεν ἡμεῖς αὐτὰς καλὰς κἀγαθὰς, & καθάπερ οἱ ἡμετέροι πρόγονοι τῆς πολλῆς τρυφῆς ἀπαλλαχέντες εἰς τὸ μέτριον μετέσησαν, οὕτω κὴ ἡμεῖς ἀλλήλους παρακαλέσαντες τὴν μὲν νῦν οὖσαν περὶ τῆς πόλεως δόξαν ἐμβάλωμεν, φάνωμεν δὲ ἄξιοι βασιλεῖ τῆς προτέρας ἐλπίδος.

Ἐκεῖνος ὡς τὸ μάλιστα ταύτην ἑαυτῷ συγχωρεῖν, & τὰς ἄλλας ἀποκρύψειν δόξας, καὶ

perator videat hanc conſuetudinem, quae apud Deos invaluit, quomodo ſedens ſeparatim bonos a malis, qui ſane plures ſunt, iudicabit? Id equidem optarem ego, ſed perſuadere mihi non poſſum.

XXVIII. Quamdiu ergo trans flumina verſatur, & totus eſt contra Imperium Perſarum, ut cogitet de aggreſſione, & ubi, & quando, & quomodo in hoſtes irruat, ad meliorem frugem noſmet recipiamus; & quemadmodum maiores noſtri ab immoderato luxu infra modeſtiae terminos quondam ſe receperunt; ita & nunc nos invicem adhortantes, eam opinionem, quae de noſtra civitate habetur, reiiciamus, atque ita componamur, ut Imperatori digni prioris ſpei videamur.

XXIX. Ille quidem in ea opinione verſabatur, ut putaret hanc urbem cum maximo plauſu exce-

τῆς πατρίδος αὐτῷ οἰκειοτέραν ἔσεσθαι· καὶ κάλλος αὐτῇ καὶ σεμνότητας ἑτέρας ἐπιμάζειν ἐπυρέυετο. Νῦν δὲ μισεῖ, καὶ μισεῖσθαι πέπεισται ὁ Ἀπόλλωνος φίλος ὑπὸ τῶν Ἀπόλλωνος τροφίμων, καὶ φησὶν ἐν Ταρσοῖς τῆς Κιλικίας χειμάσειν. Ἡμεῖς δὲ εἰ τοῦτο γένοιτο, βιωσόμεθα εἶπετέ μοι; ποίαις ψυχαίς τί λέγοντες; πῶς ἀλλήλως ὁρῶντες, πῶς τοὺς εἰσαφικνουμένους; Ἀντιοχείας ὄσης ἦλιε καὶ τοῦ ζημιῆς ἐν Ταρσοῖς βασιλεῦ; καὶ πέμψομέν σφέσβεις εἰς Κιλικίαν οἱ δεχόμενοι τοὺς ἐκείθεν; Ὁ Κυδνὸς εὐτυχέστερος Ὀρόντου τοῦ ποταμοῦ; καὶ ἡ αἰτία, δι' ἣν ταῦτα ἅπαντα πέπονθαμεν, χαλεπωτέρα πτώματος. Οὐκ ἤνεγκον ἄρχοντα ἀγαθὸν,

excepturam esse, atque omnes alias benevolentia, & affectu ita superaturam, ut plus ei amicabatur, quam ipsa patria, adeoque summo ardore cupiebat ei nova ornamentorum genera parare. Nunc vero eam despicit, & vicissim ab civibus, qui se Apollinis alumnos dicunt, se Apollinis filium despici persuasus est, quamobrem ait se Tarsi in Cilicia hiematurum. Nos autem, si id continget, quomodo, quaeso, vitam ducere poterimus? Quibusnam hominibus caussam dicere, aut quibus oculis & nos invicem, & eos, qui huc accedunt, intueri poterimus? Antiochia meherele adhuc exsistente, ideoque ut poenam eidem irroget Imperator, Tarsi morabitur? Nos in Ciliciam Legatos mittemus, qui inde venientes antea excipiebamus? Cydnus Oronte felicior erit? Quodque turpissimum est, caussa, ob quam id omne accidit, hisce malis gravior quoque est. Scilicet qui generationem integram malorum Principum sustinuerunt, neque hunc

οἱ τῷ μὴ τοιούτων χρυσὸν ἐνεγκόντες ὅλῳ· οὐκ ἤνεγκον ἐν βασιλεῖ φιλοσοφίαν οἰκοῦσαν, ἀπεσείσαντο τὴν ἀρχήν.

Εἶτ' οὐ πᾶς ὑμῖν ἀπὸ τῶνδε τῶν χρόνων πολέμιος βασιλεὺς; οὐ δεδέξονται μετὰ τοῦ σκήπτρου τὸ μίσος; οὐ φεύξονται τὴν ἀκόλαστον; οὐ σωφρονήσουσι τοῖς χρηστοῖς; οὐ τοῖς ἀεὶ τὴν πόλιν ἔχουσι, τὴν νῦν ἀγνωμοσύνην φροσοίσουσι; Καλῆς γε φρόνοιας τοὺς υἱοὺς κληρονόμους καταλείψετε. Ἄνδρες, δείσατε τὸν χρηστὸν τοιοῦτον, ἐχθρὸν ἐγὼ κἂν ἰδιώτην ἔδεισα. Οὐκ ἔστι τοῦ Τυάνεως πόρρω καὶ τὸν βίον, ὃς δυοῖν ῥήμασιν ἔσυξε τὴν ἡμετέραν. Εἶτ' οὐ νήφομεν; οὐκ ὅτι τὰ ἱερὰ δεδεμένα; οὐ τοὺς μὲν πείσομεν, τοὺς δὲ ἐλέγξομεν; οὐχ ὅλον τὸ συμ-

hunc optimum, neque philoſophiam, quae in ipſo quodammodo habitare videtur, ferre potuerunt, atque ipſum principatum reiecerunt.

XXX. Nonne quivis Imperator vos odio habendos eſſe exiſtimabit, quin etiam odium una cum ſceptro excipiet? Nonne flagitioſam urbem vitabit, & qualibet opportunitate contra vos utetur? Nonne ſemper his, qui in hac urbe morabuntur, hanc impudentiam obiiciet? Optimi ſane exempli, atque eximiae prudentiae heredes filios veſtros relinquitis. Talem, quaeſo, periculum, viri Antiocheni, timete: inimicum ego, quamvis privatus ille eſſet, ſemper timere ſoleo. Scitis eum non procul eſſe a Tyane, qui ſe hanc noſtram urbem odio habere duobus verſibus demonſtravit: nec tamen expergiſcimur? nec ad ſacra currimus? nec alios quidem hortamur, alios autem increpamus, aut omne id, quod acci-

βησόμεθα ὀφθῆναι ταῖς ψυχαῖς; ἢ οὐδὲ τὰς βώμιδας ταῖς ἱκετείαις χρησόμεθα χαίρειν ἀφέντες ἱπποδρόμους; οὐκ ἀποστενάξομεν φήμην ἐπ' αὐτὸν Χοάσπην; Ἀντιοχεῖς ἀπολελόγηνται λέγουσαν, ἢ δεξόμεθα τὴν ἐκεῖθεν, βασιλέως διήλλακται λέγουσαν; Τύπτων ἐκλέγει τὸς βέλπον, ὡφθῆτος ὑπακούσομαι. Εἰ δ' ἐνθάδε γένηται, οἴκοι μοὶ κακῶς ἐρεῖ, θαυμάζεται μὴ τῶ χειμῶνος ἅμα δάκρυσιν.

SAN-

accidit, palam oſtendimus? nec apud aras precibus utimur, aut hippodromo nuncium mittimus? Nec famam uſque ad Choaſpen evulgamus? Antiocheni eam propugnarunt, quoties aliquid diceret, & nos eam non excipiemus, quando inde veniens Imperatorem immutatum eſſe annunciet? Horum, quae huc uſque dicta a me ſunt, ſeligite id, quod opportunius, atque utilius videbitur. Quod ſi aliquis, cum hic ſe continuerit, domi conviciis me proſcindet, ille profecto ſciat, nos cum lacrimis eum in tanto rerum diſcrimine procul admiraturos.

SANCTI BASILII MAGNI

EPISTOLAE

AD THEODORAM CANONICAM

EX LATINA ANONYMI CUIUSDAM VERSIONE

FRAGMENTUM ANECDOTUM

QUOD

EX COD. MS. MEMBR. SAECULI XIII

BIBLIOTHECAE MONACHORUM CONGR. CASINENSIS

FLORENTIAE

NUNC PRIMUM IN LUCEM PROFERT

PETRUS ALOYSIUS GALLETTIUS ROMANUS

EIUSDEM CONGREG. ABBAS.

STEPHANO BORGIAE VELITERNO
ALEXANDRI ARCHIEP. FIRMANI
EX FR. NEPOTI
VTR. SIGN. REF
OB VARIOS MAGISTRATVS
SEMPER EGREGIE ADMINISTRATOS
A SS. D. N. CLEMENTE XIIII. P. O. M
SAC. CONGREGATIONI PROP. FIDEI
BONIS QVIBVSQVE PLAVDENTIBVS
A SECRETIS
SCIENTER PRVDENTERQVE DATO
VIRO REIPVBLICAE LITTERARIAE
CARISSIMO
AD HOMINVM STVDIA EXCITANDA
ASSIDVE INTENTO
IVRIVM PATRIMONIORVM BEATI PETRI
PERITISSIMO
EORVMQ. PVBLICE PRIVATIMQVE
PRO VIRILI PARTE DEFENSORI
PETRVS ALOYSIVS GALLETTIVS ROMANVS
ABBAS S. MARIAE DE FONTE VIVO
IN AGRO PARMENSI
CONGR. CASINENSIS
BIBLIOTHECAE VATICANAE SCRIPT. LAT
PRAESVLI LITTERATISSIMO
AB ADOLESCENTIA EX ANIMO AMICO
VEREQVE BENEVOLO

Google

MONITUM

IN SEQUENTEM

SANCTI BASILII MAGNI

EPISTOLAM.

EPistolam profero Magni Baſilii Caeſareae in Cappadocia Archiepiſcopi ad mulierem piiſſimam regularis vitae genus amplexam, quam certiorem reddit, cur raro ſcribat, eximiiſque Evangelici inſtituti praeceptis informat, ea in compendium redigens, quae de eodem argumento in aliis praeſtantiſſimis aſceticis libris ſuſius ediſſerucrat. Huius epiſtolae nonniſi fragmentum Graece, Latineque protulit doctiſſimus vir Iohannes Garnerius Ordinis noſtri Monachus Congregationis S. Mauri To. III. pag. 65. Operum S. Baſilii editionis Pariſienſis anni CIↃIↃCCXX., *quod ex fide ſex Mſs. Codicum ad Theodoram Canonicam inſcripſit. Integram nunc igitur eam exhibeo ex Latina incerti cuiuſdam veteris interpretatione, quae etſi inelegans, rudiſque ſit, attamen utpote totidem pene verbis expreſſa Auctoris ſenſum exactiſſime reddit, adeoque deperditi Graeci textus defectum maxima ex parte ſupplet. Addidi & Graecum textum prioris partis, quae iam innotuerat, ut hinc Interpretis fides, & Monumenti ipſius ingenuitas magis probetur. Deſcripta a me eſt, quum noſtrorum Codicum Catalogo adornando operam darem,*

darem, ex codice membranaceo in 4., *circa ſaeculi* XIII. *finem exarato, qui eiuſdem Baſilii aſcetica plura complectitur ab eodem Interprete Latine verſa, & Macarii Aegyptiaci* Epiſtolam ad Iuniores Monachos ſuae profeſſionis, *quam Petrus Roverius, noſterque Leo Allatius iam ediderunt. Pertinebat olim Codex iſte ad Monaſterium Camporeenſe S. Mariae de Sancto Scpulcro* Columbariae, *quod anno* MCCCXLIX. *in Populo* S. Hilarii de la Fonte *extra Romanam Portam Florentinae Civitatis Eremitae quidam Duce Bartholo Thomaſio de Sancto Geminiano conſtruxere. Monaſterium hocce quum ſaeculo* XV. *Monachis, regularique diſciplina deſtitutum penitus eſſet, ab Eugenio* IIII. *ſanctae memoriae Pontifice, diplomate dato Florentiae* MCCCCXXXIV. *octavo idus Novembris, Florentinae Abbatiae, in qua Benedictinorum Familiae nomen dedi, ac me regulari iugo libenter ſubieci, pleno iure cum omnibus pertinentiis ſuis traditum liberaliſſime fuit.*

SAN-

SANCTI BASILII MAGNI
EPISTOLAE
FRAGMENTUM ANECDOTUM.

ΠΡΟΣ ΘΕΟΔΩΡΑΝ ΚΑΝΟΝΙΚΗΝ.

Ο Κυριὸς ἡμᾶς ποιεῖ πρὸς τὸ γράφειν, τὸ μὴ πεπεῖσθαι τὰς ὑπὲρ ἡμῶν πάντας ἐγχειρίζεσθαι τῇ σῇ ἀγάπῃ, ἀλλὰ κακίᾳ τῶν διακονούντων μυρίους παρεντυγχάνειν ἑτέρους, καὶ μάλιστα νῦν ὅτε πταραγμένων τῶν κατὰ τὴν οἰκουμένην πραγμάτων. Διόπερ ἀναμένω τρόπον τινὰ μεμφθῆναι, καὶ ἀπαιτηθῆναι βιαίως τὰς ὑπὲρ ἡμῶν, ὥστε αὐτῷ τούτῳ τεκμηρίῳ χρήσασθαι τῆς ἀποδόσεως, καὶ γράφοντες μὲν οὖν καὶ σιωπῶντες ἓν ἔργον ἔχομεν, ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν φυλάσσειν

DE REGULARI VITA AD CANONICAM.

Pigriores nos facit ad scribendum, quod non confidimus epistolas nostras penitus tradi tuae caritati, sed malitia ministrantium alios multos participare, & maxime nunc ita conturbatis negotiis, qui sunt in Orbe Terrarum. Eapropter excepto quodammodo subire querelam, & de epistolis vehementer exquiri. Quare hoc ipso retributionis utimur argumento & scribentes quoque & silentes unum opus habemus in cordibus nostris tui ornatus memoriam custo-

λάσσειν τὴν μνήμην τῆς κοσμιότητός σου, καὶ προσεύχεσθαι τῷ κυρίῳ δοῦναί σοι πλέσαι τὸν δρόμον τῆς ἀγαθῆς πολιτείας κατὰ προαίρεσιν. Τῷ ὄντι γὰρ οὐ μικρὸς ἀγὼν ὁμολογοῦντι τῆς ἐπαγγελίας τὰ ἐφεξῆς ἐπάγειν. Τὸ μὲν γὰρ προελέσθαι τὴν κατὰ τὸ εὐαγγέλιον πολιτείαν, παντός. Τὸ δὲ καὶ μέχρι τῶν μικροτάτων ἄγειν τὴν παρατήρησιν, καὶ μηδὲν τῶν ἐκεῖ γεγραμμένων παρορᾶν, τοῦτο πάνυ ὀλίγοις τῶν εἰς ἡμετέραν γνῶσιν ἥκόντων κατόρθωται ὥστε καὶ γλῶσσαν πεπαιδαγωγημένην κεχρῆσθαι, καὶ ὀφθαλμὸν πεπαιδαγωγημένῳ κατὰ τὸ βούλημα τοῦ εὐαγγελίου καὶ χεροὶν ἐνεργεῖν κατὰ τὸν σκοπὸν τῆς εὐαρεστήσεως τοῦ θεοῦ καὶ πόδας κινεῖν καὶ ἑκάστῳ τῶν μελῶν ἕτως κεχρῆσθαι, ὡς ἐξ ἀρχῆς ὁ δημιουργὸς ἡμῶν ᾠκονόμησε. Τὸ ἐν τῇ καταστολῇ κόσμιον.

custodire, & exorare Dominum donare tibi servare cursum bone conversationis secundum quod preelegisti. Vere enim non parvum certamen confitentem ea que sunt profexionis prosequi que expediunt. Nempe hoc quidem preeligere eam que est secundum Evangelium conversationem est omnis. Hoc autem & usque ad minimam agere observantiam, & nihil eorum que ibidem sunt scripta despicere, istud omnino a paucis dirigitur qui pervenerunt ad nostram notitiam. Quare & lingua disciplinata, & oculo disciplinâ instituto secundum consilium Evangelii uti & manibus operari secundum destinationem beneplacentiae Dei, & pedes movere, & ita unoquoque membrorum uti sicut a principio noster conditor dispensavit. Sed quod est in

κόσμιον · τὸ ἐν ταῖς συντυχίαις τῶν ἀνθρώπων πεφυλαγμένον · τὸ ἐν βρώμασιν αὐτάρκες · τὸ ἐν τῇ κτήσει τῶν ἀναγκαίων ἀπερίττον. Ταῦτα πάντα μικρὰ μὲν ἁπλῶς οὕτω λεγόμενα, μεγάλου δὲ ἀγῶνος εἰς τὸ κατορθωθῆναι χρήζοντα, ὡς ἐπ' αὐτῆς τῆς ἀληθείας εὑρομεν · Καὶ μὲν καὶ τὸ ἐν τῇ ταπεινοφροσύνῃ τέλειον, ὡς μήτε προηγόνων περιφανείας μεμνῆσθαι, μήτε εἴ τι ὑπάρχει ἡμῖν ἐκ φύσεως πλεονέκτημα ἢ κατὰ σῶμα ἢ κατὰ ψυχήν, τούτῳ ἐπαίρεσθαι μήτε τὰς ἔξωθεν περὶ ἡμῶν ὑπολήψεις ἀφορμὴν ἐπάρσεώς τε καὶ φυσιώσεως ποιεῖσθαι, ταῦτα τῷ εὐαγγελικῷ ἔχεται βίῳ. Τὸ ἐν ἐγκρατείᾳ εὔτονον, τὸ ἐν προσευχαῖς φιλόπονον, τὸ ἐν φιλαδελφίᾳ συμπαθὲς, τὸ πρὸς τὰς δεομένους κοινωνικὸν, τὸ τῷ φρονήματι τῆς καταβεβλημένον, ὁ συν-

in habitu ornatum, quod in colloquiis cuſtoditum, quod in cibariis ſufficiens, quod in poſſeſſione neceſſarium, & ſine ſuperfluitate. Hæc quidem omnia parva quidem apparent ſic ſimpliciter dicta, ſed magno agone egent ut dirigantur in ipſa rei veritate invenimus. Quo circa quod eſt humilitate perfectum poſſidere ita quod non progenite ſuperbiæ habeamus memoria, nec in alio ex natura circumventio & ſuperfluitas ſit in vobis, aut ſecundum corpus, aut ſecundum animam hanc extollens, nec conditiones circa nos que extra nos ſunt ſuſpitiones elationis & naturæ facere multo certamine indiget. Iſta habet evangelica vita, quod eſt in abſtinentia bene firmum, quod eſt amativum laboris in orationibus, quod eſt compaſſi-

vum

ὁ σωτηριμὸς τῆς καρδίας, τὸ τῆς πίστεως ὑγιὲς τὸ ἐν σωφροσύνῃ ὁμαλὸν, μηδέποτε τῆς ἐννοίας ἡμῶν λειπόσης τὸ φοβερὸν καὶ ἀπαραίτητον δικαστηρίου τὴν μνήμην. Πρὸς ὃ ἐπειγόμεθα μὲν ἅπαντες, μέμνηνται δὲ αὐτοῦ, καὶ τὴν ἀπ' αὐτοῦ ἔκβασιν ἀγωνιῶσιν ἐλάχιστοι.

vum in fraternitatis amore, quod eſt communicati um ad indigentes, quod eſt prudentie humile & deiectum, quod eſt ſanum fidei & contritionis cordis. In triſtitia planum & lene nunquam noſtram meditationem, & intentionem relinquentem terribilis & inevitabilis loci diiudicationis memoria ad quam imus omnes. Reminiſcuntur vero ipſius, & agonie exitus qui eſt ab eo pauciſſimi. MVLTIS vero exiſtentibus que a divina Scriptura manifeſtata ſunt, & hiis qui a ſtudioſis debent dirigi & Deo placere feſtinantibus in preſentiarum moti a vobis ſolum ſicut didici & divina Scriptura in brevi ſub memoriali dicere neceſſarium precogitavi. De unoquoque teſtimonium facile apprehenſibile derelinquens ad cognoſcendum hiis que circa lectionem ſtudent quamquam ſufficientes erunt & alios commonere. Primo quod oportet Chriſtianum digne celeſti vocatione ſapere & digne Chriſti Evangelio converſari. II. Quod non oportet Chriſtianum heſitare

tare aut extolli nec extrahi ab aliquo a memoria Dei. III. Quia non oportet Christianum iustificationibus que sunt secundum legem in omnibus meliorem factum non iurare non mentiri. IV. Quia non oportet blasphemare. V. Quod non oportet iniuriam inferre. VI. Quod non oportet pugnare. VII. Quod non oportet se ipsum vindicare. VIII. Quod non oportet malum pro malo reddere. IX. Quod non oportet irasci. X. Quod oportet longanimem esse quodcumque contingit patientem & arguere oportune ledentem, sed nequaquam se ipsum in passione sue ipsius ultionis sed in christiana dilectionis fratris secundum mandatum Domini. XI. Quod non oportet adversus absentem fratrem aliquid dicere destinatione ei detrahendi etsi vera sint que dicuntur, quoniam detractio est. XII. Quod oportet avertere eum qui fratri detrahit. XIII. Quod non oportet scurrilia loqui. XIV. Quod non oportet ridere; nec ridentes aut derisores sustinere. XV. Quod non oportet loquen-

tem otioſa dicere aut audire quod non ad utilitatem audientium eſt, nec ad neceſſariam & conceſſam verbi a Deo oportunitatem. XVI. Quoniam oportet & operantes feſtinare quantum poſſibile eſt operari cum quiete, & ipſos qui operibus preſunt ad illos qui eis crediti ſunt bonos etiam monere ſermones & cum examinatione diſpenſare verbum ad hedificationem, ut non contriſtetur Spiritus Sanctus. XVII. Quoniam non oportet proſequentes aliquos põtates (sic) appropinquare alicui fratrum aut loqui antequam ordinati ſuper cura bone ordinationis probent in omnibus quomodo placet Deo quod fiendum eſt & quod communitati expediens eſt. XVIII. Quod non convenit viro ſervire nec erga carnes vitioſe habere, & univerſaliter nullius cibi aut potus ex delectatione eſſe amatorem. Qui enim in agone contendit ab omnibus ſe abſtinet. XIX. Quod ex hiis que dantur unicuique ad uſum nihil tanquam proprium habere oportet aut recondere, qui quoque ſuper cura conſtitutus eſt omni-

omnibus quaſi Dominicis rebus attendet, nihilque ex eis proiciet aut negliget ſeu quaſi indifferenter deſpiciet. XX. Quod non oportet nec ſeipſum ſui ipſius eſſe quenquam, ſed tanquam ex Deo ad ſervitium fratrum qui unanimes ſunt datum ita & in omnibus ſapere & facere, unumquemque vero in proprio ordine. XXI. Quod non oportet murmurare nec in anguſtia ſeu penuria rerum que ſunt ad neceſſitatem nec in labore operum cum iudicium habeant de ſingulis que ordinantur iſtorum huiuſmodi põtatẽm (ſic) poſſidentes. XXII. Quod non oportet clamorem fieri nec aliam quamcumque effigiem aut motum in quo carathizetur furor aut elatio, certi quod preſentem habemus Dominum, vel quod in preſentia Dei ſumus. XXIII. Quod oportet neceſſitati commiſerare vocem. XXIV. Quod oportet non temerarie alicui reſpondere aut aliquid facere, ſed in omnibus quod benignum eſt & honorabile ad omnes oſtendere. XXV. Quod non oportet innuere oculo cum dolo aut

aliqua alia uti figura vel motu membri quod contriſtet fratrem aut deſpectum inſinuat. XXVI. Quod non oportet ornari in veſtimentis aut calciamentis, quod eſt perperam agere. XXVII. Quod oportet vilibus uti in hiis omnibus que ſunt ad neceſſitatem cordis. XXVIII. Quod non oportet ſine neceſſitate & ad habundantiam & ſatietatem adconſumere, quod eſt abuſus. XXIX. Quod non oportet honorem querere aut primatum acquirere. XXX. Quod oportet unumquemque perhonorare plus ſe ipſo omnes & appretiare. XXXI. Quod non oportet ſubditum non eſſe. XXXII. Quod non oportet otioſum commedere valentem operari, ſed & cum qui vacat circa aliquid dirigendorum ad gloriam Dei ſe ipſum quoque violentare neceſſe eſt ad ſtudium & feſtinantiam operis ſecundum virtutem. XXXIII. Quod oportet unumquemque cum examinatione eorum qui preſunt ita omnia facere cum certificationé & ratione, nec ad ipſum comedere & bibere ſicut ad gloriam Dei.

XXXIV.

XXXIV. Quod non oportet ab alio ad aliud opus transire absque informatione eorum qui ad informandum huiusmodi opera sunt ordinati, excepto nisi alicubi aliqua inevitabilis necessitas ad auxilium impotentis repente vocaverit. XXXV. Quod oportet unumquemque manere in eo in quo ordinatus est, & non prevaricando propriam misseriam transire ad ea que tibi pretaxata non sunt, nisi forte qui si huiusmodi ordinant probaverint aliquo indigere auxilio. XXXVI. Quod non oportet ab alterius operis artificio in alterius aliquem inveniri. XXXVII. Quod non oportet ex contentione & rixa adversus quemquam aliquid facere. XXXVIII. Quod non oportet invidere alterius probitati, nec gaudere in defectibus alicuius. XXXIX. Quod oportet in charitate Christi contristari quidem & conteri super defectibus fratris. XL. Quod non oportet indifferenter habere super peccantibus aut super ipsis tacere aut quiescere. XLI. Quod oportet cum qui arguit cum omni viscerositate &

timore Dei destinatione convertendi peccantem arguere. XLII. Quod oportet eum qui arguitur aut increpatur suscipere prompte cognoscentem suum profectum in directione. XLIII. Quod non oportet inculpatum aut accusatum ab aliquo alio coram illo aut aliis aliquibus contradicere accusanti, sed si aliquando forsan irrationabilis apparuerit aliquando accusatio, seorsum movere sermonem ad accusantem & aut certificare aut certificari. XLIV. Quod oportet & unum quemque quantum potest curare eum qui adversus se aliquid habet. XLV. Quod non oportet malitie illius memorari qui peccavit & culpam cognovit & penitentiam egit sed ex corde dimictere. XLVI. Quod oportet eum qui se dicit penitentiam agere super peccato non solum contineri super quo peccavit, sed & fructus dignos penitentie facere. XLVII. Quia qui super primis delictis correptus est & remissione dignus est factus, si iterum peccaverit peius priore parat sibi ipsi iudicium ire. XLVIII. Quod oportet post

pri-

primam & ſecundam correctionem permanentem in ſuo defectu ei qui preeſt manifeſtari ſi forte a pluribus increpatus erubeſcat. Si autem non ſic corrigatur ſicut ſcandalum de reliquo abſcidatur & ſicut ethnicus & publicanus videatur ad munitionem & certitudinem obedientie & feſtinantiam operantium ſecundum illud quod dicitur: impiis cadentibus iuſti in timore fiunt; oportet autem & lugere ſuper eo ſicut membro abſciſo a corpore. XLIX. Quod non oportet ſuper iracundia fratris occidere ſolem ne quando nox in medio amborum dividens ſtatuatur, & in die iudicii inevitabile iudicium derelinquat. L. Quod non oportet tempus expectare ſuper ſua ipſius directione eo quod de craſtino nihil habeat certum, quod multi multa conſulentes craſtinam diem non apprehenderunt. LI. Quod non oportet ſeduci ſaturitate ventris per quod fiunt phantaſie nocturne. LII. Quod non oportet occupari immenſura operatione nec etiam ſupergradi terminos ſufficientie ſecundum

cundum Apoſtolum qui dicit : habentes alimenta & quibus tegamur hiis contenti ſumus . LIII. Quod habundantia ſuper oportunitate imaginem avaritie inſinuat . Avaritia autem ſententiam habet idolatrie . LIV. Quia non oportet amatorem eſſe pecunie nec theſaurizare inutilia que non convenit . LV. Quod oportet accedentem ad Deum paupertatem & nihil poſſidere ſalutare per omnia & confixum eſſe in timore Domini iuxta dicentem : Confige timore tuo carnes meas, a iudiciis enim tuis timui . Det autem Dominus cum omni certificatione ſuſcipere que dicta ſunt ad gloriam Dei, fructuſque penitentie dignos oſtendere, Dei beneplacentia & cohoperatione Domini noſtri Ieſu Chriſti . Amen .

SER-

SERMO
DE VIDUITATE SERVANDA
S. AUGUSTINO ATTRIBUTUS
FORTE
S. CAESARII ARELATENSIS

NUNC PRIMUM ERUTUS EX DUOBUS CODD. MSS

ALTERO

BIBLIOTHECAE MEDICEO-LAURENTIANAE

SAEC. XI

ALTERO

BIBLIOTHECAE S. MARCI FLORENTIAE

SAEC. IX

CLEMENTI . XIIII. P. O. M
EX . INCLITA . FRANCISCANORVM . FAMILIA
AD . SVPREMI . SACERDOTII . APICEM
SVMMO . REI . CHRISTIANAE . TEMPORE
INSTINCTV . DIVINITATIS . EVECTO
FVNDATORI . PVBLICAE . SECVRITATIS
RERVM . DIVINARVM . HVMANARVMQVE
OPTIMO . PRINCIPI
CVIVS . EGREGIA . IN . LITTERAS . AC . LITTERATOS
MERITA
ET . IN . VETERIBVS . MONVMENTIS
CONQVIRENDIS . COMPARANDISQVE . STVDIVM
OMNES . ADMIRANTVR
SERMONEM
DE . VIDVITATE . SERVANDA
DIVO . AVRELIO . AVGVSTINO . TRIBVTVM
FORTE . DIVI . CAESARII . ARELATENSIS . OPVS
EX . DVORVS . CODD. MSS
FLORENTINARVM . BIBLIOTHECARVM
S. LAVRENTII . ET . S. MARCI . ERVTVM
IOHANNES . CHRISTOPHORVS . AMADVTIVS
OB . AMPLA . BENEFICIA
AB . OPT. MAXIMOQVE . PRINCIPE
IN . SE . CONLATA
SANCTISSIMO . PATRI
MECENATI . MVNIFICENTISSIMO
DEVOTVS . NOMINI . MAIESTATIQVE . EIVS
LIBENTI . MVNERE . OBFERT

Digitized by Google

IOHANNIS CHRISTOPHORI AMADUTII
AD CL. VIRUM
ANGELUM M. BANDINIUM

CANONICUM BASILICAE LAURENTIANAE FLORENTIAE

Et Praefectum Regiae Bibliothecae
Mediceo-Laurentianae

PRAEFATIO.

SEMPER mecum ipſe cogitavi, BANDINI amiciſſime, & eruditiſſime, ſic ingenuo, ac honeſto Viro grati animi officia convenire, ut ſi quis vel ea ſciens praetermittat, vel ab iis refugiat, parum abſit, quin inter iumenta recenſeam. Alitur enim humana ſocietas mutuis potiſſimum praeſidiis, ſtudiis, ac voluntatibus, quae quidem ſi tollantur, humanitas ipſa tolli mihi videatur, quae quam ſit hominis propria, vel ipſum nomen indicat. Habeat ergo ſibi, qui velit, oppoſitae ſententiae placita, quibus nova prorſus, ac ſilveſtris Philoſophia, urbano homine indigna, innititur. Nimirum intelligis, Amicorum optime, haec ideo a me dici, ut qui multis me cumulaveris beneficiis, & amoris ſignificationibus, gratum me quinetiam tuis in me meritis, ac liberalitatibus identidem agnoſcas, tum & perpetuo eorum omnium memorem futurum diiudices. Quare cum nunc mihi contingat hunc Sermonem de Viduitate ſervanda *typis committere, quem tibi potiſſimum acceptum refero; cui alii convenientius haec, quae*

me

me nunc praefari decet , inſcribantur , quam tibi , ut hinc aliqua ſaltem mei in te ſtudii viciſſitudo exſiſtat? Exiguam ſane video , & imparem beneficio tuo , ac meritis , verum , quae cum ab ingenuo , ac maiora dare cupienti animo proficiſcatur , digna ſit , quam tu aequi , bonique excipias . Poſtquam Lectoribus noſtris innotuit beneficii auctor , unde haec in nos manarunt , aequum eſt , ut cetera pateant , quae ad Monumentum , quod nunc primum prodit , propius ſpectent , quaeque ut tibi , qui ea perbelle noveris , repetantur , pati nunc debeas . Codex quapropter Bibliothecae Mediceo-Laurentianae (a) *, cui tu merito praees , hunc habet Sermonem , quem tu ſaeculo XI. exaratum cenſes , qui iam ipſum deſcripſeris in Tom. I.* Catalogi Latinorum Codicum Bibliothecae Laurentianae (b) *, quem propediem proditurum praeſtolamur . Continet laudatus Codex varias S. Caeſarii Arelatenſis Homilias , atque inter illas haec etiam habetur , quae tamen Auguſtino Sanctiſſimo Eccleſiae Patri tribuitur , cum in fine eiuſdem haec , licet inconcinne , ſubnotentur :* Explicit S. Auguſtini de conſolatione mortuorum . *Ceterum clarius Auguſtino inſcribitur in Codice altero ſaeculi IX. , in fine mutilo , Bibliothecae S. Marci Florentiae , quam obtinent Fratres Praedicatores , ubi poſt plures , quas continet , eiuſdem Caeſarii Arelatenſis Homilias , ſequuntur Sermones tres , quorum primus eſt S. Auguſtini Epiſcopi , & incipit :* Beatus homo, cui

(a) *Cod.* XX. *Plut.* XVI. (b) *Pag.* 261. *ad* 265. *n.* XLI. *pag.* 141.

cui miſerebitur Deus &c., *alter eiuſdem nomine quinetiam praenotatur, & eſt* de Viduitate ſervanda, *ac tertius tandem S. Ambroſii deſignatur, & eſt* de Poenitentia agenda. *Deſcribit hunc Codicem Vir inter ſuos famigeratiſſimus Franciſcus Antonius Zaccherius in eius* Itinere per Italiam (a), *ac ſingula eius capita ſingillatim recenſet. Sermonem ſecundum* de Viduitate ſervanda *ex hoc Codice exſcriptum nobis per ſummam humanitatem communicavit Vir clariſſimus Philippus Angelicus Becchettius Dominicanae Familiae Alumnus, & Urſianae Eccleſiaſticae Hiſtoriae Continuator praeſtantiſſimus, quemadmodum & eius cura apographum ex Codice Laurentiano excerptum, amice, & comiter te largiente, obtinui. Textus vero, quem exhibeo, eſt ex Codice Laurentiano, cui tamen in ima ora variantes lectiones ſubieci, quas habet Codex Divi Marci, qui altero duobus ſaeculis vetuſtior eſt. Potior huius antiquitas poſtulare quidem videbatur, ut, textus loco, eius apographum proponeretur; verum cum circa Sermonis dimidium deprehenderim in eum invectum, forte Amanuenſis oſcitantia, fragmentum quoddam alterius Sermonis* de Poenitentia, *quod ſane nihil commune habet cum Viduitate, ne in textum ipſum, ſic fide Codicis poſtulante, quid ab argumento primo abſonum, invectum aegre quis cerneret, id conſilium cepi, ut Laurentianum exemplar, etſi recentius, pro textu nunc eſſet, cui inter ceteras alterius vetuſtioris Codicis variantes lectiones fragmentum etiam hoc ipſum*

(a) *Part. I. cap. II. pag* 49., & 50.

ipſum adnecteretur. Atque illud ſane praetermitti haud poſſe videbatur, quod nullibi pro inſtitutis a me perquiſitionibus inter Auguſtini, Ambroſii, & Caeſarii Sermones, illud inter edita deprehenderim. Zaccherius loco laudato innuit poſt Sermonem de Viduitate ſervanda *ſequi Sermonem alterum S. Ambroſii* de Poenitentia agenda, ſeu, *ut ipſe ait*, Homilia XLIV., quam editi Libri Auguſtino adiudicant. *Inſpexi quapropter ex ipſius indicatione laudatum numerum XLIV., qui huic Homiliae adſcribitur, in Auguſtini, atque Ambroſii Operibus editionum tum veterum, tum recentiorum (nam Zaccherius non bene exerit, quem ex duobus Patribus ibidem deſignatum velit), & horum Homilias, ſeu Sermones, qui hunc numerum gerunt ſive inter genuina eorumdem Opera, ſive inter ſpuria, ac ſuſpecta, alios eſſe omnino deprehendi, nihilque* de Poenitentia *ipſos attingere. Habentur ſane apud Auguſtinum Sermones duo* de utilitate agendae Poenitentiae (a), *ac plures alii de eodem argumento occurrunt in Appendicem* (b) *reiecti a doctiſſimis S. Mauri Monachis Pariſienſibus; aſt in eorum nullo quidquam deprehendi, quod cum laudato fragmento conveniat; quod etiam de Ambroſianis, ac Caeſarianis Sermonibus, quos data opera conſului, dictum exiſtimes. Aſt nunc eo deveniendum, ut de Auctore huius Sermonis meam opinionem expromam, quam etiam cum*

(a) *Serm.* CCCLI., & CCCLII. *Tom. V. edit. PP. S. Mauri.*

(b) *Serm.* CCLIV. *uſque ad* CCLXII.

cum cl. Auguſtino Antonio Georgio Eremitarum Auguſtinenſium Procuratore Gen., Viro mei amantiſſimo, omnium ſcientiarum genere ornatiſſimo, tum & Auguſtinianae doctrinae Vindice apprime ſtrenuo, praeſtantique communicatam volui. Stilus quidem, ſi cum ſinceris Sanctiſſimi Patris, aureis prorſus, diviniſque Operibus conferatur, non huic omnino, quo Sermo noſter coaleſcit, reſpondere, quin oppido differre videbitur. Huc accedit, Sanctiſſimum Patrem in Scripturarum teſtimoniis proferendis Graeco textui adhaerere, quod etiam a Maurinis Monachis obſervatum eſt. Scilicet locus ipſe Pauli Apoſtoli ad Timotheum (a), *qui primum in noſtro hoc* de Viduitate ſervanda *Sermone occurrit, ab Auguſtino profertur in eius Opuſculo* de Bono Viduitatis, *quod in Cod. Palatino Vaticano ſaec VI., vel VII. ſignato n.*210. *inſcribitur* Liber, ſeu Epiſtola S. Auguſtini ad Iulianam de Viduitate conſervanda, *ac Graeco textui omnino, non autem Vulgatae verſioni reſpondet. Sic enim ſe habet*: Quae autem vere vidua eſt, & deſolata, ſperavit in Dominum, & perſiſtit in orationibus nocte, ac die. Quae autem in deliciis agit, vivens mortua eſt. *Habe nunc Graecum textum, ut nullo negotio conferas cum utraque verſione*: Ἡ δὲ ὄντως χήρα, καὶ μεμονωμένη ἤλπικεν ἐπὶ τὸν Θεὸν, καὶ προσμένει ταῖς δεήσεσι, καὶ ταῖς προσευχαῖς νυκτὸς, καὶ ἡμέρας. Ἡ δὲ σπαταλῶσα, ζῶσα τέθνηκε. *In Sermone autem noſtro iuxta Vulgatae editionis fidem, quamquam non accurate prorſus, locus iſte*

D

addu-

(a) *I. ad Timoth. cap.V. vv.*5., & 6.

adducitur, aliter, ac ab Augustino peractum esset; quod sane de ceteris Novi Testamenti locis heic citatis dictum intelligas. In Opusculo autem de Vita Christiana, *cui Maurini Monachi locum fecerunt in Tomi VI. Appendice, hic ipse Paulli locus iuxta Vulgatam adductus cernitur; Ast Opusculum hoc ab Augustino iidem abiudicant, tribuuntque potius Fastidio cuidam Episcopo, & Pelagii conterraneo. Quare sic censeo, hunc Sermonem S. Caesario Arelatensi potius esse tribuendum, cum in Codicibus suarum Homiliarum habeatur, cumque plures alii eiusdem Sermones antea Augustino tributi fuerint, quos in Appendice ad Tom. V. Augustinianorum Operum doctissimi Monachi S. Mauri reiecerunt. Haec sunt,* BANDINI *doctissime, quae tecum agere nunc libuit, quocum eruditum sermonem conferere mihi propemodum visum est. Tu, qui tanta polles eruditione, quique ad litterariae Reipublicae commodum, & incrementum maiora quotidie moliris, eruditulas has meas adlocutiones, tum parvula haec Opuscula ne asperneris; sunt enim ad tui genium saltem accommodata, & ad tuorum Operum exemplar conantur accedere. Ceterum non ex hoc solum quantulocumque officio grati animi mei, & observantiae modulum metiaris, qui maiora etiam, si suppetant, aut cetera etiam, quaecumque ea tandem sint, a me in dies exspectes. Vale interim,* BANDINI *eruditissime, & patriae, ac Musis, tranquillo otio, vive.*

Datis Roma Nonis Ianuarii anno a Christo nato CIↃIↃCCLXXIII.

SER-

SERMO
DE VIDUITATE SERVANDA.

AUDI, Filia derelicta, quae perdidisti solatium caritatis, de cuius cervice sublatum est iugum viri. Ecce beatior eris, si sic permanseris; non te seducat vana cogitatio dicendo: quis mihi providebit cibum in tempore, vel orphanos meos quis tuebitur (a)? Gaudere debes potius nunc, quam cum fueras vinculo viri ligata. Ecce soluta es a lege viri, in qua detinebaris, ut sis in tuo arbitrio. Non habeas suspirium, quod perdidisti spem huius saeculi: memor esto, Filia, Dominum esse spem omnium finium terrae. Non anxieris, quod sola remanseris; memorare Dominum, qui orphanum, & viduam suscipit. Ora Dominum, sicut Apostolus dicit (b): *Quae vere*

 vi-

(a) *Cod. S. Marci habet:* sustinebit?

(b) *Epist I. ad Timoth. cap. V. v. 4., 5., & 6.*

vidua eſt, & deſolata, inſtat in orationibus, & obſecrationibus diebus, ac noctibus: nam quae in deliciis eſt vivens, mortua eſt. Si qua vidua parentes, & nepotes habeat, diſcat primum domum ſuam bene regere, & mutuam vicem reddere parentibus; hoc enim gratum, & acceptum eſt coram Domino. Eſto humilis, & verecunda, atque ſobria in omnibus, ne forte abominabilis (a) videaris; ſic (b) ſcriptum eſt: *Adoleſcentiores viduas devita, cum enim luxuriatae fuerunt, in Chriſto nubere volunt, habentes dapnationem, quia primam fidem irritam fecerunt, non ſolum otioſae, ſed etiam & verboſae, & curioſae, diſcunt circuire domos alienas, loquentes, quae non oportet.* Eſto ſedulo in domo tua orando cum lacrimis, ut det tibi caſtitatem corporis, vel continentiam. Quam infelix es, & miſera, quam malum oppro-

(a) *Cod. S. Marci habet:* ab hominibus.

(b) *Cod. S. Marci habet:* ſicut. *Sequens locus eſt in cit. Paulli epiſt. verſ.* 11., 12., & 13.

opprobrium portas, ſi te non contines! Qualis diſtractio eſt tibi, ſi carnis tuae frenum non habes! Labora in opere Dei ſemper. Ecce bona vidua, quae eſt unius uxor viri, *ſi filios educavit, ſi hoſpitio recepit, ſi ſanctorum pedes lavit, ſi tribulationem patientibus ſubminiſtravit* (a). Beata eris, ſi haec omnia feceris; ſunt enim multae viduae, quae habuerunt duos, vel tres viros, ſed non habent praeceptum, ut ab omnibus honorentur, ſicut illa, quae unum virum habuit. Multae viduae fuerunt in diebus Heliae, & ad nullam earum miſſus eſt, niſi in Sarepta Sidoniae. Vide, quia nulla ex illis habuit meritum, niſi illa ſola, quae hoſpitio recepit in die neceſſitatis, quando erat fames valida, & advenienti Sancto Heliae, apparavit illi menſam; Sicut & illa vidua non habuit in ſubſtantia ſua, niſi duos denarios, & ſperans ex corde puro, quod eſſet centuplum acceptura, hos ipſos obtulit Domino; Sicut & illa vidua nomine

(a) *Verba haec uſurpat Apoſtolus cit. epiſt. v. 10.*

Iudith, quae non diſcedebat de ſuperioribus domus ſuae, ieiuniis, & orationibus ſerviens Domino die, ac nocte, quam Dominus cuſtodiebat de manu Holophernis, ne coinquinaretur in opere peccati. Oh quam beata vidua, quae tale gaudium (a) civibus ſuis

(a) *Cod. S. Marci haec inſuper habet, quae per Amanuenſis oſcitantiam inuecta ſunt, quaeque ad Sermonem alterum* de Poenitentia *pertinere videntur, quaeque heiç ſubiungere placuit*: .... Faciat, quod adeo cupit fieri, quando diem finierit, vita non finit, ſed tranſit de vita in vitam. Sive is voluntate ſua occurrat ad baptiſmum, ſive in periculo conſtitutus baptizetur, & exeat, ad Dominum vadit, ad requiem vadit. Baptizatus autem, & deſertor, violatorque Sacramenti ſi fuerit, peccat, & Dominum repellit a ſe. Si autem agat poenitentiam ex toto corde, ſed agat veram poenitentiam, ubi Deus videt, ſicut vidit cor David, quando increpatus a Propheta graviter, & poſt communicationes terribiles Dei exclamavit dicens: Peccavi, & mox ut audivit Dominus, abſtulit peccatum ſuum. Quantum valent tres ſyllabae! Tres enim ſyllabae ſunt peccavi, ſed in tribus ſyllabis flamma ſacrificii cordis eius ad caelum aſcendit. Ergo qui egerit veram poenitentiam, & ſolutus fuerit a ligamento, quo erat conſtrictus, & a Chriſti corpore ſeparatus, & bene

ſuis praeſtitit, & ſpem bonam ſibi aquirere meruit, ut liberaret populum ſuum ab ore

 gla-

ne poſt poenitentiam vixerit, poſt reconciliationem cum defunctus fuerit, ad Dominum vadit, ad requiem vadit, regno Dei non privabitur, & a poculo diaboli ſeparabitur. Qui autem poſitus in ultima neceſſitate, aegritudinis ſuae, acceperit poenitentiam, & mox reconciliatus fuerit, & vadit, ideſt exit de corpore, fateor vobis; non illi negamus, quod petit, ſed nec praeſumo, quod bene hinc exiit, & non praeſumo, non polliceor, non dico, non vos fallo, non vos decipio, non vobis promitto. Fidelis bene vivens ſecurus hinc exit. Agens poenitentiam, dum ſanus eſt, & reconciliatus ſi poſtea bene vixerit, ſecurus eſt. Sed dicis, quid eſt ſi bene vixerit? Vel hoc nos inſtrue, Sacerdos bone, vel hoc ſciamus. Illud neſcire te dicis, qui accepta poenitentia ad horam & tranſiit, neſcire te dicis, facinora ſua ſi relaxentur in die iudicii, hinc nullam ſecuritatem nobis das: Quid eſt vivere poſt poenitentiam, doce nos. Dico vobis, abſtinere ab ebrioſitate, a concupiſcentia, a furto, a malo eloquio, ab ipſo immoderato riſu, a verbo otioſo, unde reddituri ſunt homines rationem in die iudicii. Ecce quam levia dixi, & obmiſi illa gravia, & peſtifera. Et aliud dico: Non ſolum poſt poenitentiam ab iſtis vitiis homo obſervare ſe debet, ſed ante poenitentiam, dum ſanus eſt, quia neſcit, ſi poſſit ipſam poenitentiam accipere, &

gladii! Ecce quod fecit caſtitas viduae, ut eſſet nominata in omnem terram, & Domino

confiteri Deo, & Sacerdoti peccata ſua. Ecce quare dixi: & ante poenitentiam melius. Agens vero poenitentiam ad ultimum, & reconciliatus exierit; ſi ſecurus hinc exeat, ego non ſum ſecurus. Poenitentiam dare poſſum, ſecuritatem dare non poſſum. Quod dico, attendite. Ego illum planius expono, ne aliquis me male intelligat. Numquid dico damnabitur? Non dico. Sed liberabitur dico. Et quid mihi dicis, ſancte Epiſcope? Quid tibi dicam, neſcio. Dixi non praeſumo, non promitto, prorſus neſcio de Dei voluntate. Vis te, frater, a dubio liberari? Vis, quod certum eſt, evadere? Age poenitentiam, dum ſanus es. Si enim agis veram poenitentiam, dum ſanus es, & invenerit te noviſſimus dies, curris, ut reconcilieris; ſi ſic agis, ſecurus es. Quare ſecurus? Vis dicam tibi? Quia egiſti poenitentiam eo tempore, quo & peccare potuiſti. Ecce dixi, quare ſecurus es. Si autem tunc agere vis ipſam poenitentiam, quando peccare iam non potes, peccata te dimiſerunt, non tu illa. Sed unde ſcis, inquies, ſi forte Deus mihi miſereatur, & dimittat mihi peccata mea? Verum dicis, frater, verum dicis, unde ſcio, & ideo tibi do poenitentiam, quia neſcio. At ille inquit: ergo dimitte cauſſam meam Deo. Quid metu verbi affligis, & iudici me Deo dimittis? Illius iudicio te committo, cuius iudicio me com-

mino laudabilis, & in omnibus clara. Oh quam beata es vidua, quam Dominus memoratur! Sicut illa, cuius filius unicus defunctus fuerat, quomodo misericordiam consecuta est a Domino, ut resuscitaretur (a); Sicut illa vidua in Actibus Apostolorum (b) nomine Dorcas, quae multas eleemosynas faciebat, omnes viduae, adveniente Petro, ostendebant vestes, quas eis fecerat Dorcas, dum viveret; vidit autem Petrus opera mulieris viduae, oravit, & suscitavit eam; Sicut & illa vidua, quae quotidie se volvebat ad pedes cuiusdam divitis, ut vindicaretur de adversario suo, cum vidisset illam dives lacrimantem ait: si Dominum non timeo, nec

commendo; nam si scirem, nihil tibi prodesse, non te admonerem, non te terrerem. Duae res sunt: aut tibi ignoscetur, aut non tibi ignoscetur. Quid horum tibi futurum sit, nescio. Sed do consilium: Dimitte incertum, & tene certum. Et cum vivis, age poenitentiam veram, ut cum veneris in iudicium Dei, non ab eo confundaris, sed ut ab eo in regnum deducaris.

(a) *Cod. S. Marci habet*: consequuta est, ut a Domino resuscitaretur.

(b) *Cap. IX. v. 36.*

nec hominem revereor, tantum haec vidua quia moleſta eſt, vindicabo eam. Ecce quomodo vindicatur vidua, ſi obtineat caſtitatem, & humilitatem, & mihi ipſi praeceptum eſt, ut a me viſitationem accipiat, dicente Apoſtolo (a): *Viſita pupillos, & viduas in preſſura ipſarum*. Oh quam beata es vidua, quae in omnibus taliter commendaris a Domino! Qui autem tibi non miſeretur, iudicatur a Domino ipſo dicente (b): *Cauſſas viduarum non iudicantes, & pupillos non miſerantes, iudicabo vos, dicit Dominus*. Benedicta es vidua, quia ipſum Dominum habes iudicem, & defenſorem. Iam nullum plores, Filia, quae melior facta es, quam fueras ante; ante in homine ſperabas, modo autem in Domino Ieſu Chriſto; antea cogitabas

(a) *Iacobi Epiſt. Cath. cap. I. v. 27.*

(b) *Locus hic in Scripturis Sacris non habetur, licet teſtimonia de viduis, & pupillis huc redeuntia plurima occurrant, quorum aliquod huic ad ſenſum, uti non inſolens apud Scriptores ſacros, forte adductum eſt.*

tabas ſecundum hominem, modo autem ſecundum Deum; antea carnis libidine delectabaris, & veſtis periculo, modo autem legis dulcedinem, & caſtitatem prae omnibus cogitas; antea ancilla viri fuiſti, modo autem libera es Chriſti (a). Quam bonum eſt te eſſe ſecuram, quam pati ſervitium (b) viri! Bonum eſt ſola iacere in lecto, & ſurgere munda, quam iacere conſcia libidinis, & carnis immunditiae. Antea eras curvata, & eras ſub viri iugo gravi (c), modo autem erecta es a iugo Chriſti ſuavi. Gaude, Filia, quia venundata fueras, ut eſſes ancilla viri, modo autem libertatem a Domino meruiſti. Memor eſto, Filia, mulierem Chananaeam, quae per inopportunitatem ſuam beneficium Salvatoris noſtri impetrare meruit, ſed & mulierem illam, quae pedes Domini lacrimis rigavit, & capillis ſuis terſit, vel illam mulierem, quae attu-

(a) *Cod. S. Marci habet*: in Chriſto.
(b) *Cod. S. Marci habet*: ſervitutem.
(c) *Cod. S. Marci habet*: ſub iugo viri gravi.

attulit unguentum pretioſum , & profudit Dominum recumbentem (a), vel illam mulierem , quae veſtimenta Domini tetigit , & continuo ſtetit fluxus ſanguinis eius , & illam mulierem , quae ad pedes Domini ſedebat , audire , qualiter poſſet fugere ab ira ventura. Conſidera , Filia , per quam viam humilitatis hae ipſae mulieres gradiebantur , & ex hoc meritum bonum habuerunt. Eſto & tu ſimilis illis in obedientia , in humilitate , in eleemoſyna , in ſuſceptione peregrinorum , in vigiliis , in ieiuniis , in omni ſobrietate. Haec ſunt , quae Chriſto placuerunt. Labora , Filia , die , ac nocte in opere Domini , ut quae ab homine dimiſſa es , a Domino colligaris , ut quae acceptura eras trigeſimum (b) fructum , ſexageſimum merearis conſequi , per eum , qui vivit in ſaecula ſaeculorum. Amen. Explicit (c) S. Auguſtini de conſolatione mortuorum.

EPISTO-

(a) *Cod. S. Marci habet* : & perfudit Domino recumbente.

(b) *Cod. S. Marci habet* : tricenum.

(c) *Haec deſunt in Cod. S. Marci*.

EPISTOLA APOCRYPHA
IESU CHRISTI
AD
DIVUM PETRUM
EX COD. MS.
ECCLESIAE TUDERTINAE.

Digitized by Google

IOHANNIS CHRISTOPHORI AMADUTII

AD

FRANCISCUM MARIUM PASINIUM

PATRITIUM ARIMINENSEM

ET SANCTAE TUDERTINAE ECCLESIAE

EPISCOPUM MERITISSIMUM

PRAEFATIO.

NON ignoras, PASINI Praeſul eruditiſſime, falſariorum audaciam, ſive ſuperſtitione, ſive etiam malitia duce, eo deveniſſe, ut profanas manus etiam in Sacros Codices inferre, ac inter eos, quos Divina Sapientia vel dictaverat, vel inſpiraverat, ſuppoſititios quinetiam, & ineptos fetus inſerere non dubitaverit. Hinc tot Evangelia Thomae, Nicodemi, aliorumque, hinc Apocalypſes Petri, & Paulli, hinc Epiſtolae Paulli ad Laodicenſes, & ad Alexandrinos, atque alia huiuſmodi, quae anſam praebuerunt Ioh. Alberto Fabricio compingendi Opus, cui titulum fecit: Codex Pſeudepigraphus Novi Teſtamenti, *ut aliud, quod eſt Veteris Teſtamenti, quodque nunc ad rem noſtram non facit, praeteream. Tulerunt ſane huiuſmodi impoſtores etiam prima Chriſtianae Religionis tempora, nec iiſdem etiam poſteriora caruerunt. Inter hos certe adnumerandus eſt ineptus conditor Epiſtolae nomine Ieſu Chriſti Sal-*

Salvatoris noſtri ad Divum Petrum perſcriptae, tamquam ex ſeptimo Throno, *de diei Dominici obſervantia, & cultu, quae ab ipſo ſaeculo VI., ut mox oſtendam, in Catholicae Eccleſiae Sacraria irrepſerat, quaeque ſaeculo XII., ignorantia, & barbarie ſuffragante, etiam inter Clerum Eccleſiae Tudertinae, quem nunc tu tanta cum laude, doctrina, ac vigilantia moderaris, receptam fuiſſe patet, ut & peculiarem feſti celebrationem ab eodem promeruerit, quae quidem, ipſa Reſurrectionis Dominicae ſolemnitate vel praetermiſſa, vel remiſſius, mixtimque peracta, eamdem in poſterum* (*quod pene incredibile videatur*) *in* Dominicam Epiſtolae *penes Liturgicos Libros, novo inducto nomine, immutaverit. Patet hoc ex Cod. Ms. ſaeculo XII. exarato, & ex charta pecudina compacto, qui in Tabulario Eccleſiae Cathedralis Tuderti adſervatur, quique conſtat fol. CLXXI., licet principio careat fol. LIV. Hunc tui beneficio,* PASINI *Praeſul humaniſſime, dum anno* CIↃIↃCCLXX. *apud te Octobre menſe ruſticationis cauſſa hoſpitio comiter exciperer, contrectare licuit, atque Epiſtolam ipſam, quae ibidem occurrit fol. CII. a tergo, exſcribere. Riſimus tunc de ea, multaque ſermone, quem tecum niſi eruditum habere non liceat, uſurpavimus; ut proinde eamdem ego nunc illuſtraturus, ut ipſa primum in lucem prodeat, non alius, quam tu, mihi provocandus videatur. Siquidem nemo mihi vitio vertet, ſi Litteratorum eruditioni, ac memoriae typis eamdem nunc commendare aggrediar, exempla ſequutus Ioh. Alberti Fabricii, Iob. Bapt.*

Cote-

Cotelerii , & , ut ceteros taceam , Viri Cl. Ioh. Aloyſii Mingarellii Abbatis Canonicorum Reg. S. Salvatoris , qui non multo ante hos annos Apocryphum Thomae Evangelium ex Cod. chart. ſaec. xv. Bibliothecae Bononienſis S. Salvatoris multo auctius, ac multis quinetiam variantibus lectionibus praeditum in vulgum emiſit (a) *; quandoquidem & haec ipſa apocrypha ſuam habent utilitatem , & Eccleſiaſticam Hiſtoriam praeſertim multum iuvant , ut eruditi omnes norunt . Commode haec Epiſtola Tudertini Codicis tui in* Codice Pſeudepigrapho , *quem ſuperius memoravi* , Novi Teſtamenti *a Fabricio elaborato deſideratur , ut proinde non iniucunda ſacrae eruditionis cultoribus futura ſit . Ceterum ab eodem Fabricio memoratur ibidem* (b) , *ubi de ſcriptis Chriſto tributis , quaedam Epiſtola Chriſti e Caelo delapſa in Vaticanum ſaeculo vi. , quae certe non alia ab hac noſtra fuiſſe videtur ; Recenſet enim ibidem ex Ioſepho Saenzio Aguirreio* (c) *Epiſtolam Liciniani Carthaginis Spartariae in Africa Epiſcopi ad Vincentium Epiſcopum Eboſitanae Inſulae , quam ipſe Cardinalis ampliſſimus Aguirreius ex Ms. Eccleſiae Toletanae extraxit , & in qua vitio vertitur Vincentio , quod Litteras ſub Chriſti nomine confictas , atque e Caelo , ut fingebatur , delapſas non reieciſſet, inter quas ea ad-*

E *nume-*

(a) *Nuova Raccolta d' Opuſcoli ſcientifici , e filologici . Venezia* 1764. *To. xii. pag.* 73.

(b) *To. II §. VI. pag.* 308. *edit. Hamburgi* 1703.

(c) *To. II. Collect. Max. Concil. Hiſpan.*

numeratur , in qua initio praescribitur , ut dies Dominicus colatur , quaeque nimirum etiam delapsa dicebatur Romae in memoria S. Petri , *supra sepulcrum nempe Principis Apostolorum ad Vaticanum. Licinianum vero , quem laudavimus , sub extremum saec. VI. , scilicet circa annum Christi* DLXXXIV. *vixisse , compertum est ; quod est sane huiusce ineptae falsitatis testimonium vetustius , quod usquedum innotuerit . Ceterum forte hoc ipsum Epistolium in Syria obtinuisse , & in Malabarensem Regionem quinetiam permeasse existimo ; siquidem in Synodo Diamperitana celebrata ab Alexio Menezesio Eremita Augustiniano , & Archiepiscopo Goense anno* CIↃIↃXCIX. *inter Libros Apocryphos , Syriacos praesertim , recensetur* (a) Epistola Dominica, quam a Caelo lapsam nugantur , *& quam etiam Maturinus Veyssierreius La-Crozius in eius Epistola ad Theophilum Sigefridum Bayerium memorat* (b) . *Haec nunc tecum , Pasini Praesul Cl. , a me scriptis agenda erant de hac Epistola apocrypha Tudertini Codicis tui , cui sane , te Episcopo tam docto , tam probo , apud Clerum tuum perfugium , cultumque haud umquam nanciscì , nec ipsum in hac superstitionis labe versari contigisset; qui nunc scilicet Lectiones ipsas Sanctorum Ecclesiae Tudertinae a te elegantiori perpolitas sermone , & gravioribus rebus dumtaxat insignitas a Sacra Rituum*

(a) *Romae typis Hieronymi Mainardi* 1745. *Act.* III. *Decr.* XIV.

(b) *Thesaur Epistolic. La-Crozian. Lipsiae* 1742. *To.* III. *Epist.* 12. *pag.* 30.

Rituum Congregatione probari, & confirmari provide curas. Haec fere exaravi paratus ad iter Eugubinum, quando hoc Autumnale otium tecum ponere, tuoque iucundiſſimo hoſpitio hac vice perfrui non licet. Vale interim, PASINI Praeſul ampliſſime, & litteras, ut facis, tua gratia fovere perge.

Datis Roma IV. Nonas Octobris anno Gratiae CIↃIↃCCLXXII.



E a Incip.

Digitized by Google

Incip. Dõm. epl.

In nomine dñi ñri ihũ xpi incipit epi-ſtola de xpõ dĩ filio. de die domĩco ſcõ, qualiter oms xpĩani celebrare debẽtur. Audite ös populi. & magis vos q. neſcitis illut. Timere ne & cuſtodire ſicut mandatum eſt vob. Ppt hoc venit ira dei ſup vos, & flagellavit laboribus vris in pecorib; ſive in animã lib. quem vos poſſidetis. Pro eo quod non obſervaſtis hoc, quod in baptiſmo promiſiſtis, & de die dominico ſcõ hoc venit ſuper vos gens paganor. inter vos. & corpora vra in captivitatem.

Et propterea venĩt ſup vos lupi rapaces. & in profundum maris dimergunt.

Et avertunt ego dñs faciem meã a vob & tabernacula q; fecerunt man. mee quecũq; aũt malo feceritis in ſcla meã. Ego dicebam qualiter reddam vobis. trado vobis in manũ alienor. exterminabo vob, in manũ amenor. exterminabunt vos ſic demergam vos

ſicut ſumerſit ſodomam , & egomurrea quos terra abſorbuit .

Et ambulaverit in aliũ locum in die ſcm̃ domicũ niſi ad ecclam̃ aut ad alia loca ſcõr. ul loca martyrum aut infirmum viſitare . ul mortuo ſepellire aut diſcordantes ad concordiam revocare ul viduis & orphanis & peregrinantibus ſubvenire ſi aliũ feceritis flagellabo vobis duris flagellis . Et inmitto vob. & domib; vrīs om̃e plagã . & confuſionem malam . Si q. negotium fecerit in die ſcm̃ dominicũ aut aliquid in domũ ſuã fecerit ut capillos tonderit aut veſtimenta ſua laverit aut panem ſuum coxerit . aut operatus fuerit . nulla opa xpiãnis non eſt.

Tunc inmitto ſup eũ maledictionẽ , & non abent benedictionem meam , nec in die , nec in nocte ; & pono in domũ ſuam & ſup eum & ſup filios ſuos om̃e infirmitatẽ . Si qs aũt cauſaverit in die dominicũ ſcm̃ , aut ira ꝑpetrabit , aut qui ipſa comiſerit , mittam ſup eum om̃e malũ ut deficiat , & di-

diſperdat. Audite oñs ppli & ingredula gentes generationẽ malã adq; peſſimã quarq mihi non vultis credere. & ſervis meis quod vos cotidie predicam. Paucit. dies vris. & cotidie adpropinquã fines nrãs. Ego aũt patiens ſup oñs ex peccato peccatores ut converta. ad penitentiam.

Audite oñs & videte ut nullus ex vobis iuret in diem ſcñ dominicum, quia in eo pater luce concedit. & in ſex die cuncta ꝓfecerit. Et ipſo ſcõ die dominico. reſurrexit a mortuis. & in eo ſpũ ſcõ ſup diſcipulo infudit. Tanta eſt debet obſervantiam. ut ppt orationem. & miſſarum ſolemnia. nichil aliũ faciat. ita & vos requieſcite ab õib; operibus vrĩs. Tam liberi, quam & ſervi. & ñ alius faciens niſi ut ſerviatis dõ in eccla meã. & a ſacerdotib; meis. Si enĩ non cuſtodieritis diẽ dominicũ ſcñ. de ora nona Sabbati uſque ad ſecũda fR. ora. 1. & non occurritis ad ſcãm ecclam cum oblationib; & luminarib; a miſſarũ ſolemnia. cũ anathematicus vos corã

patrē meū qui eſt in Celis . Et non abeatis partē mecū neq; cū angelis meis in ſcta ſctōr. Aм̄ dico vobis ſi non cuſtodieritis die ſcm̄ domicū . & oм̄s caro patres vrōs . Mitto ſup vos grandinē & fulgora , & coruſcationes & tempeſtates ut pererit labores vrōs . & vineas & olivas vrās . neq; aquā veniam ſup vos abundantiam . Aм̄ dico vobis a ſacerdotib; meis decimis vrīs date . Sciatis oм̄s quia qui ipſa fraudaverit deꝰ oм̄ib; quicūq; manus ſuas operatus fuerit ſive in corpus . ſive in anima . Et non videbit vitā ētnam que deſiderat videre & fines in terra Xpiñor. Hoc incredulis ppls iudiciū tibi ſervo nec in ſclo condempno .

Si feceritis q; pcipio vob. ſi cuſtodieritis diē ſcm̄ dñicū , aperiam vobis cataratā celi & oм̄ia bona . multiplicabo in laboribus vrīs . Non erit fames , neq; conturbatio in gentes . ſtat ego in vob. & vos in me . & ſciatis quia ego sū ds pt me non eſt alius .

Aм̄ dico vob. Si obſervaveritis die dominicū ſcm̄ oм̄a mala aufero a vob. Oм̄is

ſacer-

ſacerdos qui iſtã epyſtolã legit ad pplo ſuo non oſtendit .

Sive in villis in treñdo iudiciis gravis periculum ſuſtinebit . & iſtam epyſtolã ſingulis diebus dominicis oñs ſacerdos ad cuius man' pervenerit legant . & pdicant . ut credant & ſemper in memoriã abeant . Quod ſi non cuſtodierit epiſtolã iſtam anathematizo vos illos uſque in ſclm ſcli . & de ſeptimo trono dñi ñri ihu pterito anno in Civitatem gazize ubi ſcs petrus epyſcopatum accepit . ✠ . Ibi võ ad me petrus eps iſtam epyſtolam dñs direxit dico non ñtior . quia per nullum hominẽ michi mandatum eſt . Vide quod ſi non cuſtodieritis quod ſuperius dixit. ante tribunal Xpi . ſuſtineritis duris flagelis .

Iuro ego petrus eps ſcs ꝑ dī poteſtatem qui fecit celũ & terram & oñia q; in eĩs . & ꝑ ihm Xpñ filiũ eius .

Et ꝑ ſcã Trinitatem . & per quatuor evangeliſta . & ꝑ XII. pphe . & per XII. apli . & ꝑ beatiſſimã virginẽ mariam . &

ꝑ cor

p corpus virginũ . & p ereliquia ſcor. oḿium ſi mentior vob quia epyſtolã iſtam non eſt formata de manũ hor. ſet de ſeptimo throno dei eſt ſcripta digiti dñi . Vero ſr nrãs miſſa eſt de ſeptimo thromo . qualiter die dominicũ cuſtodire debeatis in ſcla ſclor. Aḿ .

ASCA-

ASCANII COLUMNAE CARDINALIS
ORATIO
AD SIXTUM V. P. M
DE SUO IN URBEM REDITU
AD CARDINALATUS INSIGNIA
SUSCIPIENDA

QUAM

EX COD. MS. VATICANO,

NUNC PRIMUM PROFERT

STEPHANUS BORGIA
A SECRETIS
SACRAE CONGREG. DE PROPAGANDA FIDE.

Digitized by Google

PETRO . FABRICI . F. COLVMNAE
TIT. S. MARIAE . TRANSTIBERIM
S. R. E. PRESBYTERO . CARDINALI
IN . GENTEM . PAMPHILIAM . ADSCITO
PRINCIPI
ATAVORVM . PROCERVM . GLORIA
PROPRIISQVE . VIRTVTIBVS . CLARISSIMO
QVEM
GALLI . APVD . QVOS DIFFICILLIMIS . TEMPORIBVS
NVNCII . APOSTOLICI . MVNERE . FVNCTVS . EST
EXIMIA . SACRARVM . DISCIPLINARVM . ET . FIDEI . LAVDE
SEMPER . COLVERVNT
STEPHANVS . BORGIA . V. S. R
A . SECRETIS . CONGR. PROP. FIDEI
ASCANI . COLVMNAE . CARDINALIS . CELEBERRIMI
ELEGANTISSIMVM OPVSCVLVM
IN . QVO . GENTIS . SVAE . DECORA . MONVMENTA
NVNC . PRIMVM . E . VATICANO . CODICE
TYPIS . EDITVM
OFFERT . CONSECRAT
ANNO . MDCCLXXII

Digitized by Google

ERUDITO LECTORI

STEPHANUS BORGIA.

EX Codice pergameno MDCLXXIX. Bibliothecae Vaticanae nitidiſſima manu conſcripto, auro minioque exornato, prodit nunc primum Opuſculum celeberrimi Cardinalis Aſcanii Columnae, quod latitavit adhuc, immo ignotum prorſus exſtitit iis, qui tanti Viri elucubrationes recenſuere (a). Parentes habuit Aſcanius Marcum Antonium Palliani, ac Talleacotii Ducem, qui poſtremus Romanorum, hoſtibus ad Echinadas devictis, in Urbe triumphavit, & Felicem Urſinam Paulli Iordani Senioris, belli, paciſque artibus clariſſimi, filiam. Graecis, Latiniſque litteris ab adoleſcentia eruditus, mox in Hiſpaniam a patre miſſus fuit, ac in Salmaticenſi Academia tanta aſſiduitate, profectuque iuriſprudentiae, ſacriſque diſciplinis operam dedit, ut, Philippo II. Rege poſtulante, ad Cardinalatus dignitatem abſens anno MDLXXXVI. evectus fuerit, cumque ad Urbem reverſus honoris accepti inſignia recepiſſet, luculentiſſimam hanc Orationem in Sacro Conſiſtorio coram Sixto V. Magno Pontifice diſerte habuit, in qua

(a) Ianus Nicius Erythraeus in Pinacotheca II. num. XLVIII. Auguſtinus Oldoinus in Athaeneo Romano. Ferdinandus Ughellius de Cardd. Columnenſibus. Hippolytus Marracius in Purpura Mariana. Proſper Mandoſius in Bibliotheca Romana Centuria II. num. LXV. Alphonſus Ciaconius, & alii multi.

qua plura de Minorum Ordine, deque Coenobio Sanctorum Apoſtolorum opportune, venuſteque dixit. Summus profecto coaevorum Scriptorum conſenſus eſt, Aſcanium, praeter ceteras animi dotes nobiliſſimo principe dignas, quibus abunde exornatus refulgebat, in Urbe ea aetate virum doctiſſimum fuiſſe, ac ita apud illum eloquentiae ſtudia flagraſſe, ut, teſte Ioano Nicio Erythraeo (a), ſi quempiam audiret paullo diligentius huic ſtudio operam dare, ad ſe advocaret, noſſe vellet, hortaretur, obſecraret etiam, ut in id ſtudium, in quo erat, incumberet; nihil enim eſſe dignius, in quo omnis noſtra opera conſumeretur, quam hoc, in quo Romani nominis gloria longe, multumque ceteris nationibus praeſtitiſſet. *Inſignem quin etiam Bibliothecam domi comparavit, Libris omnigenae eruditionis, & Mſs. praecipue Codicibus refertam, cui primum Pompeium Vgonium virum clariſſimum praefecit, quo vita functo, ipſius Bibliothecae cura commiſſa eſt viro alteri eruditiſſimo Alberto Rubenio Iuſti Lipſii diſcipulo. Quare haec eadem Bibliotheca patuit tunc ſingulis Litteratis viris, qui Romae florebant, inter quos praecipue memorandus venit Card. Caeſar Baronius, qui pro condendis ſuis Eccleſiaſticorum Annalium voluminibus magna hinc adiumenta petivit. De hac plena laude ſcripſerunt Petrus Morinius in ſuis Epiſtolis, Iacobus Sirmondius, Antonius Poſſevinius, aliique. Nihil ſiquidem hac Bibliotheca vel cla-*

(a) *Pinacotheca III. num. XII. in Imagine Lelii Ubaldini.*

clarius, vel praeſtantius concipi poteſt, quippe quae & praeclaris Poſſeſſoribus, & ampliſſimis acceſſionibus ſemper excelluerit. Eius enim initium primum eſt ab Alberto Pio Carpenſium Duce, qui, teſte Ambroſio Morandio (a), *ſuam Bibliothecam dono dedit Auguſtino Steuchio Eugubino Can. Reg. S. Salvatoris Epiſcopo Kiſamo, & Sedis Apoſt. Bibliothecario; hanc dein magna ex parte Fabius Steuchii frater Marcello Cervinio Iguinae Urbis iam Epiſcopo, ſed tunc Cardinali ampliſſimo, & mox Pontifici Max. largitus eſt; tum ipſam Mſs. Codicum Monaſterii Avellanenſis apographis* (b), *ceteriſque aliunde quaeſitis amplificatam, Marcellus Pontifex Cardinali Guillelmo Sirletio, qui eidem fuerat a ſecretis, ex teſtamento legavit; poſtea ipſo e vivis erepto, a Card. Aſcanio Columna XIV. mille ſcutatis empta eſt; hinc poſt ipſius obitum a Duce Ioh. Angelo Altempſio pretio XIII. mille ſcutatorum in ſui poſſeſſionem adſcita; mox, Altempſii Ducis morte conſequuta, migravit in manus Card. Petri Ottoboni Senioris, qui dein fuit Alexander VIII. P. M., quique eamdem Familiae ſuae perpetuo unitam adiunxit; ac tandem omnium iam poſſeſſorum additionibus, & Chriſtinae Suecorum Reginae Mſs. praecipue Codicibus locupletatam, Benedictus XIV. P. M. laudando in aevum exemplo, ac munere in Vaticanam*

(a) *In Vit. Auguſtin. Steuchii Tom. I. Operum, Venet.* 1591.

(b) *Maur. Sartius de Epiſcopis Eugubinis n.* LV. *pag.* 223., *& Petrus Polidorius in Vita Marcelli II. cap.* XXI. *pag.* 51.

Bibliothecam inferri voluit. Ceterum e vita migravit Aſcanius noſter in paternis aedibus apud Baſilicam Sanctorum Apoſtolorum anno MDCVIII., *aetatis ſuae anno circiter quinquageſimo, Lateranenſi Eccleſia, cui praefuerat, berede relicta, eiuſque cadaver ad Martini V. tumulum ſepultum eſt.*

ORA-

ORATIO.

IN patriam reditus, BEATISSIME PATER, quaecunque illa ſit, eſt per ſeipſum optabilis & iucundus. Quod ſi Roma ea ſit quae ab exteris etiam, barbariſque nationibus patria appellatur, quid optabilius? quid iucundius? ſed redire te felice Pontifice, quid felicius? te etiam vocante, & ampliſſimi huius Ordinis dignitate ornatum, quid mihi, inquam, potuit eſſe glorioſius? Tecta ipſa, & parietes, intra quos quis natus, & altus eſt, neſcio quam vim habent ad trahendos animos, qui, quacunque vagentur, & errent, niſi ad eum locum, in quo eos natura ipſa collocavit, revertantur, nullibi conquieſcunt. Aura illa, quam vagientes hauſimus, ita recreat, atque delectat, ut ſine ea vita ipſa vitalis, ut Ennianis verbis utar, prope non ſit. Caelum illud, quod in cunis primum aſpeximus, neſcio quid habet aſpectu iucundius. Veſtigia, quae adhuc reptantes impreſſimus, focos, lareſque noſtros quanta

cum voluptate inviſimus? Quamobrem pro nivibus, ac pruinis Scythae, Hyperboreique ſuſpirent, quas pueri teneris adhuc manibus attrectare aſſueverunt, ſi eos a Scythico illo horrore ad Italicam amoenitatem, ſuavitatemque traducas. Imperet quis exſulare Aethiopes, & Indos ab incultis, deſertiſque arenis, quae perpetuo Solis ardore torrentur, abeſſe miſerrimum iudicabunt. Ad caulas, & ſtabula, ubi natus eſt, paſtor laetus, hilariſque revertitur, & pelles, in quibus iacebat, infans in manus magna cum voluptate ſumens neſcio quid in ea pauperrate dulcedinis, & ſuavitatis invenit, quam ſenſim animo etiam rudi, & ruſtico natura ipſa inſtillat. Equidem ut de me ipſo loquar, nondum ex ephebis exceſſeram, cum me Marcus Antonius parens meus Regni Neapolitani ſupremus Comeſtabilis in Hiſpaniam ſecum adduxit, in qua plurima profecto ſunt, quae vel maximum cariſſimae patriae deſiderium non parva poſſunt hilaritate, & iucunditate lenire. Nam ſi caelum ſalubre,

agri

agri uberes, & fecundi, amoeniſſima montium iuga, perlucidi fluminum, fontiumque liquores, riparum veſtitus viridiſſimi, optimi arborum fructus, fruges, armenta, greges, metalla, & rerum fere omnium copia, quae tam ad vitae neceſſitatem, quam voluptatem pertinent, regiones reddunt amabiles, haec omnia ita habet Hiſpania, ut de ea Poetarum rex, & regum, ut Alexander dicere ſolebat, Poeta Homerus cecinerit:

Non eſt Hiſpana tellus felicior ulla.

Quid de ampliſſimis, & ornatiſſimis urbibus dicam, de gentis moribus, acumine, ſollertia, hoſpitalitate, qua & priſcis temporibus ita excelluiſſe Hiſpanos Siculus Diodorus teſtatur, ut cum hoſpites excipiebant de eorum honore inter ſe laudabili, & pia aemulatione contenderent? Chriſtiana vero pietas, & religio ubi plus viget pura, & integra ab omni errorum labe Philippi prudentia, & virtute conſervata? Beneficia etiam ab eo in me, familiamque meam tanta benevolentia, & humanitate collata nonne ad

patriae memoriam oblitterandam maximam vim habere potuiſſe dicendum eſt ? Dicendum profecto eſt, & te, Beatissime Pater, praeſente, clara, & contenta voce fatendum, ut cum publica fuerint beneficia, ſit etiam gratum ſe teſtantis animi publicum teſtimonium . Dixi hac de re plura, cum in Complutenſi theatro me una cum Philippo principe, Iſabella, & Catharina principibus filiis totius Academiae nomine gratias agentem audivit ſic ſuae in me antiquiſſimae benevolentiae memor, ut Regiae Maieſtatis pene videretur oblitus, & dicam fortaſſe aliquando maiora cum & rebus ab eo glorioſiſſime geſtis, & iis, quas filios tanto parente digniſſimos geſturos iam pridem auguratur animus, licebit applaudere, ſi ut res mihi non dubius ſuppeditabit eventus, ſic etiam verba non ſit mea mihi iam pridem cognita, & explorata infantia detractura . Ipſa vero regia tanto Rege digna regulis, & principibus viris refertiſſima, quos vel affinitatis, vel amicitiae vinculo coniunctos habebam, quamvis

ſagi

ſagi potius, quam togae ſit, ita tamen me togatum amavit, & coluit, ut qui equorum curſu armorum tractatione, & militaribus ſtudiis exerceri ſolerent domi meae doctiſſimos viros de graviſſimis rebus diſputantes audire ſaepiſſime mallent, eo quod ſtudiis diſſimiles ſola aequaret benevolentia. Academias etiam, ubi litteris operam damus, patriae loco a pleriſque haberi quis neſcit? Hac de cauſſa cum inter Himerenſes, & Catanenſes Siciliae populos de Sterpſicori poetae Lyrici patria lis eſſet orta, Phalaris Aſtipalaeus iudex delectus pro Catanenſibus ſapientiſſime pronuntiaſſe dicitur, eo quod Catanae litterarum ſtudiis in puerili aetate navaſſet. In Complutenſi, & Salmanticenſi Academia per decennium philoſophiae, theologiae, iuris pontificii, & imperatorii curricula conficiens, tantam cum Hiſpana iuventute familiaritatem ſtudiorum communicatione contraxi, ut inter meos in patria mihi verſari viderer. Memini in ultima illa concione a me pridie, quam Salmantica diſcederem;

habita a te, o patria mihi iure cariſſima, veniam poſtulaſſe, ut eam quoque patriam appellarem, eo quod ſi in te natus ſum, ibi ſcientiis, & doctrinis excultus, ſi a te vitam accepi, illa dedit id, ſine quo vitam mihi acerbam putarem.

Digitum quoque ad gymnaſii parietes intendens marmoreas columnas familiae noſtrae inſigne iudicabam affinitatis quoddam genus eſſe dicens inter nos, & eius Academiae alumnos, eo quod ab Othone Columna, qui Martinus Quintus vocatus in ſacra iſta Pontificii imperii Sede tanta cum virtutis ſui laude, & Eccleſiae utilitate conſedit, tanquam a familiae cuiuſdam capite originem ducant. Quid plura? cum iam brachia ad omnes amplectendos e ſuggeſto porrigerem, & huc exſurgite dicerem, tenebo, complectar, dabo lacrimas, porrigam dexteram, ſanctum, & inviolabile fidei, & amicitiae pignus, ita ſenſi omnium animos ad fletum, & lacrimas commoveri, ut & mihi vox dolore intercluſa defecerit. Quid vero de me, meiſque

que ſtudiis haec Academia ſenſerit, praeclariſſimo hac de re redato teſtimonio, ideſt publicis, quas vidiſti, litteris conteſtata.

Ignoſce quaeſo, Beatissime Pater, pio, gratoque animo accepta ab exteris beneficia recolenti, & interim an bene tua ſint collocata, cognoſce. Haec omnia, quae curſim narro, & alia plura, quae dici poſſent, ea ſunt, ob quae patria tamdiu carere ferendum fuit, ſed o vim amoris inſitam, & occultam! ſemper tamen ſuaviſſima, & iucundiſſima patriae memoria quibuſdam vehementiſſimis deſiderii ſtimulis fodiebat animum, & ad earum rerum, quas nunc praeſens video, recordationem animum concitabat. Quoties ſolium iſtud tuum auguſtiſſimum, & ſolo caeleſti illo, ac divino inferius ob mentis oculos verſabatur, quoties ad ſacros tuos iſtos pedes iacere mihi videbar, quoties ad parentis, & meorum amplexus animo, & cogitatione praecurrebam, quoties hanc, quam nunc affert patria, voluptatem non iniucundo errore praeguſtabam, quid tan-

tandem animum interdum langueſcentem ad ſtudiorum labores, & vigilias perferendas excitabat? niſi haec una ſpes, ut ſcilicet quam primum in patriam redire liceret, quod maximum, & praeclariſſimum omnium laborum praemium eſſe exiſtimabam. Nam ſi patria, quaecunque illa ſit, tantam in civium animis vim habet, quantam habere aequum eſt patriam illam, quae, ut initio dicebam, ab exteris ipſis, & barbaris patria appellatur, arx omnium gentium, orbis terrarum theatrum, religionis, & pietatis domicilium, & tandem, ut poeta neſcio quis de ea dixit:

Terrarum Dea, gentiumque Roma,
Cui par eſt nihil, & nihil ſecundum.

Olim tanti civitas Romana fiebat, ut gloriosa illa vox, civis Romanus ſum, ab Apoſtolorum, ut ipſe dicere ſolebat, minimo audita ſit, nos, qui non ea donati, ſed in ea nati ſumus, parentem noſtram ingrate, & impie contemnemus? Equidem falli eos puto, qui veteris Romae reliquias, & ſemi-

comeſa

comeſa illa aedificiorum cadavera contemplantes una etiam priſtinae urbis dignitatem tempore, & vetuſtate collapſam defeciſſe dicunt. Errant, qui Romani Imperii maieſtatem, & gloriam iampridem obſoleviſſe credunt: ferri non debent, qui quae in vetuſtis hiſtoriarum monumentis ſcripta legunt, ita admirantur, ut quae oculis praeſentes intuentur tamquam minora, & cum illis non conferenda faſtidiant. Dum curulem ſellam, praetextam, latum clavum, faſces, ſecures, paludamentum, & alia nomina pompae, & dignitatis plena paſſim in Romanis ſcriptoribus legunt felices eos fuiſſe clamant, qui iſta viderint, nos vero, qui iſta tantum legimus, infelices. Capitolium, Fora, Thermas, Templa, Arcus, Ianos, Roſtra, Circos, Theatra, & Amphitheatra oculis pene lacrimantibus quaerunt, quae una cum tempore ipſo ventis velociora evolaverunt, & ſi Romani triumphi pompam in corroſo aliquo, & exeſo marmore inſculptam vident, ita haerent immobiles, ut dum moveri, & ſpi-

& ſpirari ſaxum arte videtur, qui ſaxum ſpectant, ſaxo ſimiles artis admiratione, & ſtupore reddantur.

Habet quidem neſcio quid antiquitas, quod primo aſpectu movet admirationem. Sed, o gentium omnium victrix, o terrarum omnium princeps, & regina Roma, ex eo die, quo indomitas illas cervices, & imperandi ferocitate exſultantes Divo Petro, & eius Succeſſoribus, non vi, & ferro, ſed amore, & manſuetudine domitas, & condocefactas dediſti, & quae imperare tantum ſciebas, parere didiciſti, ex eo inquam te ipſa maior, & auguſtior viſa es. Maiores noſtri fateor Euphratem, & Tigrim ab Oriente tranſgreſſi imperii tui fines ad Indos uſque propagaverunt. Aethiopes, & Garamantes ab Auſtro victoriarum tuarum meta fuere. Daci, & Sarmatae ſe tuis armis a Septemtrione ſubducere non potuerunt. Per Oceanum Geſſoriacum, & Britannicum ab Occidente ad ea, quae humanae libidini natura ſubtraxerat, tuis navibus aditum parcfeciſti.

ciſti. Sed cur te cum Sole, qui luce ſua luſtrat, & complet omnia, comparo? Gentes tuo ſubieciſti imperio, quas vix e caelo aſpicit oculus ille caeli pulcherrimus, quare recte Agrippa apud Egeſippum cum Hebraeis, ut se Romanis dederent, perſuadere vellet, belli inquit dura adverſus omnes conditio, ſed adverſus Romanos ultima, quos ſi fugere velis, cum ſuperare nequeas, Orbis terrarum tibi deferendus eſt. Alexander ille magnus fugiens arma Romana ad regna Caſpia, & extremas ſubactae Perſidis, atque Indorum oras victor perveniens Magni cognomen obtinuit, quia maximos nempe Romanos non laceſſivit, ſed paruit tamen & ille Romanis in poſteris, qui fuerat triumpho Romano immatura morte praeruptus. Magna quidem, o patria, haec ſunt, ſed ſi cum iis, quae nunc habes, conferantur, tanto minora videbuntur, quanto humanis divina terrenis caeleſtia antecellunt.

Quidquid non poſſidet armis, religione tenet, de te pius poeta dixit. Sed non Orientis

tis tantum, obeuntisque Solis anguſtiis imperium tuum continetur, non Aſiae tantum, Africae, & Europae ambitu coercetur, non Orbis terrarum tantum princeps appellaris, & caput, inferi etiam nomen tuum perhorreſcunt, caelum ipſum tuis nutibus patet, & utriuſque regni claves a Deo tibi traditas tenens, eius vice in terris fungens nonne vetera illa, & obſoleta contemnis? non aureas iam, laureaſque coronas, non triumphales currus, & arcus, non inania illa ſpolia, & trophaea Roma oſtentat; palmae, quibus hodie illuſtratur, veſtrae ſunt, o ſacri heroes, o invictiſſimi Chriſtianae militiae Imperatores, & Duces, quas veſtro pro Chriſti fide effuſo ſanguine glorioſiſſime retuliſtis; currus, & quadrigae veſtra ſunt corpora, quibus quaſi triumphatores vecti non ad Iovis Capitolini, ſed ad caeleſte illud Dei Optimi Maximi templum iterum aſcendetis; ſpolia, & trophaea tot delubra ſunt impiis daemonum cultoribus erepta, ut Deo, & vobis aris veſtro nomine excitatis conſecraren-

crarentur. Itaque cur Auguſtum, cur Tiberium, cur Severum, aut Antoninum videre deſideret, cur Patres conſcriptos, Romanumque Senatum, qui te, SIXTE QUINTE, e ſolio iſto pontificio iura Orbi terrarum dantem tot Cardinalium, & Eccleſiae Patrum corona cinctum, Chriſti in terris perſonam ſuſtinentem intuetur? Quod ſi urbis ipſius bellis, & vetuſtate proſtratae ruinas deplorant, num id te, SIXTE, Pontifice facere audebunt, qui eam non ſolum in priſtinum ſplendorem, dignitatemque reſtituis, ſed plura addis, quibus pulchrior etiam reddi-

tur, & inſignior? Utinam inter iſtos aedificiorum acervos veteris Romae buſtum, & monumentum illius aliquid adhuc ſpiraret, & viveret, quod hac voce excitari poſſet, ex hoc loco clamarem, ut ſurgeret, quae in ſuo gremio inter ſuorum cineres ſepulta iacet, & caput tam glorioſae ſenectutis canitie venerandum tot imperii infulis, & inſignibus redimitum e ſepulcro attollens novam urbis faciem circumſpiceret. Areas

vide-

videret, quas tempus nudas, & vacuas aedificiorum ruina reliquerat, novis iam aedificiis exornari loca, herbis, & ſpinis intra ipſa urbis moenia ſilveſcentia iam purgata, & nitida frequentari, aquas per tubos, & fiſtulas longe deductas ex ſummis collium iugis prope ludibundas ad amoeniſſimos hortos irrigandos exſilire, urbis partes latis, perpetuiſque viis magna, & utilitate, & pulchritudine dividi, obeliſcos Aegypti miracula ex horridis, deſertiſque locis avulſos, & inviſis, inauditiſque machinis attractos in nobilioribus urbis partibus collocari, & denique ſi quid novae Romae temporum iniuria deerat, hoc per te, BEATISSIME PATER, aurea haec, & vere tuo nomine felix aetas aſſequitur. Mihi quidem cum primum Vaticanum obeliſcum Auguſti, & Tiberii memoriae ſacrum Sanctiſſimae Cruci a te nuper excitatum, dicatumque vidi, ſtatim illud in mentem venit, hos Imperatores a te e ſede illa per tot annos impie profanata deiectos, eos ipſos eſſe, qui tunc cum natus, & in eam ipſam

ipſam Crucem ſublatus eſt Chriſtus, Romae imperabant, memini ſtatim obeliſcum illum in Caii, & Neronis Circo primum locatum, Martyrum ſanguine crudeliſſime effuſo ſaepe nataſſe, & Cruci merito eum locum deberi dixi, qui tot Martyrum cruore aſperſus iam pridem fuerat Martyrum principi tot caeſis, immolatiſque hoſtiis conſecratus. Et vero quid mirum ſi Soli iam dicatum ſaxum, ſeſe Crucis ſigno tamquam baſim, & columnam, te imperante, ſubiecit, ſi tunc, cum primum coepit ſacrum hoc Crucis vexillum in Calvariae iugo excitatum nova divinitatis luce ſplendeſcere, Sol ipſe ea tamquam lux minor offuſus occultari non ſine rerum naturae ad inſolitum prodigium haeſitantis admiratione viſus eſt? O te, SIXTE, vere felicem, ac beatum, qui ad Chriſto illatas iniurias ulciſcendas divino conſilio electus es. Quid enim inſigni hoc opere, & aeternitate digniſſimo te feciſſe exiſtimas, niſi Chriſti iniurias ulciſci? quid niſi novae Romae pietatem, & religionem cum antiquae ornatu,

& maieſtate coniungere ? Pyramides , Columnas , Statuas , Arcus , & alia huiuſmodi urbis ornamenta noſtra haec aetas priſcae non invideat , ſed ea omnia vero Deo dicata eius in humanum genus beneficia poſteris conteſtentur . Itaque ſi ullo umquam tempore Hiſpanos , Gallos , Germanos , Polonos , & ceteras omnes Catholicae Eccleſiae imperio ſubiectas nationes Romanae urbis viſendae deſiderium communi omnium fama excitatum allexit, alliciet, te,SIXTE, Pontifice , omnes ex diverſis Orbis terrarum partibus convolabunt , ut antiquam , novamque Romam utraſque ſimul tuo beneficio efflorescentes aſpiciant . Non Alpium , Pyreneorumque vallo rerum a te geſtarum fama contineri poteſt , quin in diverſas Orbis partes erumpens ad ignotorum etiam aures omnium ſermone iactata perveniat . Vix pontificiae dignitatis inſignia acceperas, cum ſtatim nefariis , ſceleſtiſque hominibus bellum , quaſi ſigno aliquo ſublato , acerrimum indixiſti . Non ſe ſilvarum receſſibus latro-

nes ;

nes, non ſaltuum latebris occultare potuerunt, non arcibus ſe, & caſtellis tueri, non vi, & armis defendere gladius vagina vacuus pene viſus, non eſt tubae ſonus, non auditus, non conſcripti exercitus, & tamen hoſtium fauces eliſas Roma vidit, bellum inopinatum extinctum, tuta omnia, & pacata; ſed quid mirum, ſi te togatum hominem, & inermem, antequam enſem diſtringas, non ſicarii tantum, & graſſatores, ſed Reges etiam, & Principes bellicoſiſſimi reformidant?

Non enim amor, non odium, non invidia, non ſpes, non timor, non miſericordia animum omni affectione maiorem in hanc, aut illam partem a recta iudicandi ratione detorquet. Catonianum illud haeret in animo fixum, Magiſtratum, & Iudicem, neque pro iuſtis orandum, neque pro iniuſtis exorandum, nam ſi iuſta ſunt, preces non exſpectandae, ſi iniuſta, non audiendae. Probas, quod ille ipſe Cato cum cenſuram peteret publice dixit, plerumque populum ſeve-

ſevero medico, & inexorabili indigere. Meminiſti vere in Tragoedia dictum:

Qui non vetat peccare, cum poſſit, iubet.

Scis, in ſacris etiam Pontificum ſanctionibus decretum eſſe erranti conſentire videri, qui ad ea reſecanda, quae corrigi debent, non occurrit: tyrannicam eſſe vocem, non regiam noſti, ſi libet, licet non ignoras, leges ſimiles eſſe ſaepiſſime aranearum telis, quibus muſcae tantum, & huiuſmodi animalcula irretiuntur, & illud plerumque accidere, de quo Seneca conquerebatur, ſacrilegia minuta puniri, maiora in triumphis ferri: optime tenes plus prodeſſe ſupplicium, quod perſonarum dignitate eminet, & apparet. Et tamen quid hoc eſſe dicam? cum animadverſionis ſeveritas timorem potius incurrere, quam amorem ſoleat conciliare, ita ab omnibus, SIXTE, amaris, ut nemo ſit, qui non diuturnum tibi imperium, & feliciſſimae ſenectutis annos precetur. Scis enim, quod pauci ſciunt, gravitatem comi-

tate

tatè, & facilitate aſpergere, puniendi acerbitatem miſericordiae lenitate mitigare, ſummam ſeveritatem cum ſumma humanitate coniungere. Non ſine divino conſilio in caelo Libram inter Scorpium, & Virginem collocatam aſpicimus, ut medium quiddam tenere iuſtitiam iudices intelligant, nec Virginis mollitie delinitam langueſcere, nec Scorpii ferocitate ſaevire. Sed hoc ipſum nonne tuus ille pira porrigens Leo familiae tuae inſigne ſignificat? Leo quidem animal eſt vehemens, feroxque natura, ſed dum piris blanditur, & attrahit, naturae ferocitatem indicat ſe humanitate lenire, & illam te in omni actione mediocritatem ſervare, qua vera iuſtitia aequitatis nomine digna ſummopere delectatur. Sic ſic tibi omnes admirabili quadam ratione devincis, ita ut ament, dum metuunt, & numquam tanta in Urbe fuerit legum obſervantia, tam incorrupta, & integra iudiciorum ratio, tam ſancta, & inviolata maiorum diſciplina, dum omnes, & amore, & metu in officio contí-

 nentur:

nentur : itaque ſi Romam redire eſt per ſe optabile, & iucundum, redire ut initio dicebam te, felice Pontifice, quid felicius? Accedit etiam, te vocante, & ampliſſimi huius Ordinis dignitate ornatum redire, qua noſter hic in patriam reditus inſignior redditur, & illuſtrior, quod ultimo loco a me propoſitum magnam hic dicendi ſilvam ſuppeditaret. Barcinone pridie Kal. Ian. Victoriae ſororis ſponſalia fiebant, domus tibiarum, nervorum, & vocum cantibus perſonabat, magnus totius nobilitatis, & omnium ordinum concurſus, gratulationes, clamores ut fieri ſolent maximi, annulum iam ſponſae porrigebat Antiſtes, cum ecce a Sabaudiae Duce litterae novae huius a te collatae dignitatis internuntiae afferuntur. Duplicari, iterarique plauſus audiviſſes, & inter eos SIXTI nomen in caelum laudibus, & lactiſſimis acclamationibus ferri. Diu haeſi ridentis fortunae ludos ſilentio admiratus, & cum tot laetitiae cauſſas me habere animadverterem, nullam inveni maiorem, quam eas.

omnes

omnes tibi, SIXTE, deberi. Magna quidem haec dignitas, & omni aeſtimatione digniſſima, nam ſi ſacrum hunc Senatum Cineas ille Pyrrhi regis Orator vidiſſet, quid de hac divina potius, quam humana maieſtate dixiſſet, qui de Romano a Pyrrho interrogatus quid ſibi videretur, totidem Reges, qui in unum locum conveniſſent, ſibi viſos reſpondit? Si Romani Senatoris dignitas olim tanti fiebat, ut cum ea amicum ſuum Hadrianus Imperator ornaret, in quem plurima alia congeſſerat beneficia, nihil ſibi dixerit reliquum eſſe, quod daret, quid, obſecro, dicere te aequum erit, BEATISSIME PATER, cum mihi hodierna die tantae dignitatis dabis inſignia? Si Presbyterium eſt, ut Ignatius Antiochenſis Epiſcopus definivit, ſacra conſiliarii, & adſeſſoris Epiſcopi inſtitutio, quanta erit eorum dignitas, qui conſiliarii, & adſeſſores illius Epiſcopi ſunt, cui ceteri Epiſcopi, & univerſa paret Eccleſia? Si tanto in honore habentur Diaconi, qui Epiſcopi manus, & oculi appellantur, quantus

debetur illis, qui eius capitis oculi ſunt, quod Chriſti Eccleſiae Capitis locum tenens inter cetera myſtici huius corporis membra tanta eminet maieſtate: qui eius manus ſunt, quo fulminante univerſus terrarum Orbis concutitur? Verum ſi per ſe tanta eſt dignitas Cardinalatus a te collata, qui ingeniorum cuiuſque virtutis, & morum es aeſtimator acerrimus, quantum dignitatis, & ſplendoris acquiret? Non te virum ſanctiſſimum, & prudentiſſimum latet, quanti momenti ſit tam in divina, quam humana republica conſiliariorum prudentia, & virtus. Verum quidem eſt, ut veriſſime graviſſimus Senator M. Tullius ſcriptum reliquit, conſilia plerumque eventu ponderari, & cui bene proceſſerit multum, cui ſecus nihil illum ſenſiſſe dicimus. Sed tamen bene conſultum maximum ſemper lucrum exiſtimari debet, nam etſi quid ſecus eveniat, tamen bene conſultum fuiſſe negari non poterit, & quamvis infelix prudentia laudabitur. At contra merito apud

Cartha-

Carthaginenſem in crucem tolli Imperatores ſolitos legimus, qui rem pravo quidem conſilio, ſed proſperi eventus felicitate geſſiſſent. Quodnam gravius reipublicae vulnus a Deo poteſt infligi, quam disbulia illa Athenienſium a Neptuno, ut veteres Poetae finxere, victo, & irato immiſſa, quà citius ea reſpublica periiſſet, niſi mala conſilia in bonos ſemper, & felices eventus Minerva convertiſſet? Plerumque, ut Velleii verbis utar, fit, ut cum fortunam mutaturus eſt Deus conſilia corrumpat, efficiatque, quod miſerrimum eſt, ut quod accidit, merito etiam accidiſſe videatur. Hinc illae Davidis Deum precantis voces, infatua, Domine, conſilium Aritophel, cum plus eius conſilium, quam Abſalonis arma timeret. Hinc illae Dei minae: auferam conſiliarium, & ſapientem in ſacris Prophetis frequentiſſime, ut adempto conſilio certum futurum eſſe interitum intelligamus. Cum igitur in conſilio tantum ſit pondus, quanti apud me, & omnes eſſe debet tuum de me iudicium,

dum

dum a te auguſtiſſimi huius Orbis terrarum Senatus Senator efficior? Novum quidem, fateor, non eſt nos Columnenſes ab iis Pontificibus huiuſmodi accipere beneficia, quos Divi Franciſci familia dedit Eccleſiae. Suum habuit Iohannem Cardinalem Nicolaus IV., ſuum Sixtus IV. Iohannem, qualem tu tuum, SIXTE QUINTE, habes Aſcanium. Et quidem pietati noſtrae aliquo pacto deberi negandum non eſt, o dive dives paupertatis amator Franciſce, o antiquiſſime gentis noſtrae patrone, qua te, & ſemper omnes, & ipſe potiſſimum a prima aetate coluimus. Tu noſtri penates, & lares, quem nec domi quidem e ſinu, gremioque noſtro dimittimus, nullibi ſine tuo praeſidio Columnam noſtram firmam, ſtabilemque manere poſſe exiſtimantes, iiſdem parietibus tua, noſtraque familia continetur, idem limen, idem veſtibulum, eadem tecta, & vix in ulla aedium noſtrarum parte pedem ponere poſſumus, in qua non tua, vel tuorum exſtent impreſſa veſtigia. Aures noſtrae

ſtrae interdiu ſemper tuis laudibus perſonant, & noctu e ſomno nocturnis filiorum tuorum vigiliis, & ſacris, diviniſque cantibus placidiſſime excitamur. Novum quoque non eſt, nos Columnenſes hoc Franciſcanae familiae Pontificibus tamquam proprium, & peculiare debere, ut quamvis e gente noſtra aliquem ſacer hic Cardinalium Senatus habeat, ſecundum & ipſi addere velint, cui propriis manibus huius dignitatis inſignia ſingulari quadam ſuae in nos voluntatis ſignificatione imponant. Habebat Senatus Nicolao Quarto Pontifice Iacobum Columnam Cardinalem, ut cum tu, SIXTE, creatus es, Marcum Antonium. Addidit ille Iohannem, addis tu Aſcanium, ut eos credo vobiſcum ad Apoſtolicae iſtius Sedis culmen evehatis, quos Apoſtolico huic muneri tam pii animi deſiderio a primis pueritiae annis addictos diuturna multorum annorum experientia in ſacris Apoſtolorum aedibus cognoviſtis. Sed utinam quemadmodum das tantae benignitatis inſignia, ita etiam ea dare poſſes,

poſſes, quibus dignus quis hac dignitate efficitur! Nam quod de Regibus in Scena Tragicus, id ego de Cardinalibus dicere ſaepe ſoleo:

Regem non faciunt opes,
Non veſtis Tyriae color,
Non frontis nota regiae.

Quoties illud ſapientiſſimi principis Hadriani in mentem venit, qui cum Heliodorum epiſtolarum ſuarum magiſtrum faceret, dixiſſe acutiſſime fertur, poteſt quidem Caeſar pecunias, & honorem tribuere, ſed rhetorem facere non poteſt. Aliud eſt Cardinalem eſſe, aliud Cardinalis habere inſignia. Multa requirit purpura, quae ſi non adſint, inane eſt nomen, & titulus dignitatis. Sed domi habeo exempla, quae mihi poſſum imitanda proponere, Iohannem Columnam, qui trecentis ab hinc, & eo amplius annis ab Honorio III. in Syriam miſſus Legatus Fidei noſtrae hoſtes tanta virtutis gloria ſuperavit, ut eius victoriae ſpolia ea ipſa fuerint, quae ab Imperatore noſtro Chriſto de huma-

humani generis hoſte fuerant conſtituta trophaea : illa, illa, inquam, Columna, glorioſiſſimum redemptionis noſtrae monumentum, quam adhuc Romae a Iohanne Columna collocatam, pie veneramur, & colimus. Et vero cui ſacrae illius Columnae e ſaeviſſimorum hoſtium faucibus abſtrahendae munus debebatur, niſi Columniis, ut Columna illa, quam olim Imperatores noſtri, & Duces ad Columnenſem fortitudinem ſignificandam familiae, & gentis noſtrae inſigne effecerant, ea, inquam, tanquam Columnenſis pietatis vexillum a Iohanne Cardinali ſublatum, & in hac religionis arce ſuis manibus fixum a ſacris omnibus noſtrae familiae Antiſtitibus, vel ipſo capite defendendum poſteritatis memoriae conſecraretur? Habeo etiam Othonem Columnam, qui in Conſtantienſi Conçilio, tanta omnium nationum, & ordinum conſenſione, Pontifex Romanus electus, inteſtinas diſcordias, quibus tot iam annos Eccleſia ſaeviſſime vexabatur, tanta & ſanctitatis,

tatis, & prudentiae laude ſedavit. Habeo Iohannes, Iacobos, Petros, Agapetos, Stephanos, Proſperos, Pompeios Cardinales, quorum omnium ad memoriam ſempiternam virtutis; & gloriae fixa veſtigia eo me ſequentem ducent, quo ſi fuerit perveniſſe difficile, erit ſaltem aſpiraſſe glorioſum. Habeo te denique, Marce Antoni Cardinalis ampliſſime, cuius virtutem, & ſuperiorum Pontificum, & potiſſimum SIXTI teſtimonio comprobatam, ſi nunc laudando adumbrare non poſſum, tantae tibi profecto eſt laudi, quantae mihi erit gloriae, ſi eam aliquando factis exprimere imitando contigerit. Si aeterna illa, & immenſa, qua in caelo frueris gloria, ut infelicem hanc tibi vitam optarem, Marce Antoni Columna, parens cariſſime, pateretur, eam tibi, SIXTO Pontifice, libens optarem, ut magni, & generoſi animi cogitationes, ſanctitatis, & prudentiae plena conſilia, quae iam diu ſanctiſſimus ſenex animo, & mente concepit, tu ipſe dextera illa exſequereris, quam ſem-

per

per Eccleſia ad opem ſibi ferendam promptam, & paratam invenire ſolebat. Iterum te profecto Vaticanus iſte, iterum Capitolium, iterum Romani colles, nunc SIXTO, ut olim Pio V. Pontifice, pene totius Urbis humeris vectum ad ſua iuga triumphantem viderent aſcendere. Iterum domus tua laetiſſimos illos & feliciſſimos Romanae iuventutis plauſus, & fauſtas omnium ordinum acclamationes audiret. Iterum novos tibi, & numquam hac aetate viſos Arcus excitari publico Senatus decreto, trophaea erigi, & glorioſiſſimos titulos victoriarum tuarum in omni aeternitate praecones inſcribi intueremur. Iterum roſtratam columnam Deiparae Virgini in Caeli Ara dicatam, & gentilitia inſignia templi tecto ad poſteritatis memoriam inſculpta poſteri non minori pietate admirarentur. Iterum detracta hoſtibus ſpolia, barbarorum ſanguine tinctas exuvias, & diu per urbem in coeno, & pulvere volutata vexilla, ſacris templorum poſtibus affigerentur. Iterum denique victi

Eccle-

Eccleſiae hoſtes debellati vinctas, & catenatas cervices ſacris tuis pedibus, SIXTE, ſubiicerent, ſi nunc viveret, & triumphare in urbe Romana poſſet is, quem de his ipſis triumphis immortalitatis laurea coronatum in Beatorum domicilio ſui ipſius victorem triumphare pietas credit, & non negabit invidia. Sed parente orbatus, ſi Fabricium fratrem natu maximum haberem ſuperſtitem, cuius in bello operam offerre poſſem, ut in pace meam tibi ea, qua vides, animi alacritate addico, non leve mihi eſſet in tanta ſolitudine, & calamitate ſolatium. Verum & illi annos mors nimium immatura praeripuit, qui gloriam annis in adoleſcentiae aetate praeripiens, quo fuerat per Deum immortalem, te Pontifice, progreſſurus, ſi ei in Herculeo freto carceres, & initium fuere columnae illae, quas ſibi Hercules laborum ſuorum metam nulli mortalium ſuo iudicio tranſiliendam tanta nominis ſui fama collocaverat? Vivit tamen avitae, & paternae virtutis haeres Marcus Antonius

regni

regni Neapolitani ſupremus Comeſtabilis, Fabricii filius natu maximus, Columnenſis familiae noſtrae princeps, qui dexteram adhuc aetate mollem, & teneram porrigens hoc, quod ceteris praeſtare non licuit, annos virtute, & animi magnitudine ſuperante, facturum ſe libentiſſime pollicetur, ut ipſe togatus, ille armatus ad Eccleſiae dignitatem defendendam par ſtudium, & aequalem operam, maiorum noſtrorum exemplo, & imitatione excitati, conferamus. Felix vero, & princeps, & parens, clariſſima ut a te accepta beneficia ſi non pari precio, non minori ſaltem grati animi propenſione rependat, quid aliud praeſtare poteſt, quam, ut anni, quos & coniugi, & filiis ademptos toties in tot ſuorum funeribus deploravit, diuturnae tuae ſenectuti addantur, aſſiduis a Deo precibus poſtulare? Quid, niſi filium, & nepotes ad tuos pedes abiicere, ut hoc, quo nullum carius habet, pignus accipiens, illud tibi perſuadeas, tam id, quod Romano Pontifici, & Eccleſiae,

quam id, quod tibi, SIXTE QUINTE, debemus, ſe, me, illos, & Columnenſes omnes Romana, & Columnenſi fide perſoluturos?

IACO-

IACOBI VOLATERRANI
PRO SECRETARIIS APOSTOLICIS
AD CARDINALES
QUAESTIONI INTER EOSDEM SECRETARIOS, ET ADVOCATOS CONSISTORIALES DIRIMENDAE
DEPUTATOS
ACTIO
EX CODICE VATICANO NUNC PRIMUM ERUTA.

Digitized by Google

IOHANNIS CHRISTOPHORI AMADUTII

AD CL. VIRUM

PHILIPPUM BONAMICIUM

AB EPISTOLIS LATINIS

SS. D. N. CLEMENTIS XIV. P. O. M

PRAEFATIO.

QUAEDAM res ita certo Viro quandoque conveniunt, ut si quis eas alteri tribuat, & temere se habuisse, & contra fas quodammodo rem gessisse videatur. Scilicet id nunc usuveniret, BONAMICI Latinorum Scriptorum politissime, si hoc Opusculum, quod nunc primum mea opera in lucem profertur, quoque Iacobus Volaterranus eiusdem Auctor Secretariorum Apostolicorum caussam tuetur, alteri, quam tibi, qui de praeclaro hoc Collegio benemeritus seriem clarorum Pontificiarum Epistolarum Scriptorum bis litterato Orbi & rerum copia, & sermonis elegantia commendasti, quique nunc eodem praestas amplissimo munere, inscriberem, aut de eo etiam cum altero sermonem conferrem. Commode tu de Iacobo Volaterrano verba facis in laudato tuo Opere (a)*, eumque ais vel ex Maffeia, vel potius ex Gerardia gente censeri. Innuis insuper eumdem inter Scriptores Apostolicos sub Sixto IV., & Innocentio VIII. Romanis Pontificibus adscriptum fuisse. Mitto cetera, quae eruditus quisque eorum noscendorum cupidus a Libro tuo petat, a cuius lectione nonnisi*

(a) *Pag. 180., & seqq. posterior. edit.*

nonniſi doctior., & expolitior diſcedat. Ceterum haud ſilentio praetereunda Oratio, etſi perbrevis, quam tu ibidem ex Cod. Vaticano integram refers, quamque ipſe Iacobus ad Collegas habuit, quo die inter eos eſt cooptatus. Ad eamdem ergo nunc accedat inſuper haec ipſa Iacobi noſtri Actio, ex Codice Vaticano ſignato n. MMMDCCCCXII. fol. 132. excerpta, quae diligentiam effugit tuam (& quis ſingula conſectari in tanta rerum copia ſe poſſe praeſumat, vel quis homini, quem aliquid huiuſmodi latuerit, crimen confixe audeat?) quaeque nunc ad te, tamquam ad patronum, fautoremque ſuum confugit, a quo ſane nonniſi comiter, ac laetabunde accipiatur. Habebis ſane multos Apoſtolicos Secretarios a te mirifice illuſtratos, quos in ea opportune commemoratos gaudeas, ut proinde in adnotatiunculis meis in ima ora ſubiectis ad loca, quibus a te iidem laudantur, pro qualicumque ipſorum notione provocaverim. Sed quid te diutius hac in re morari nunc praeſtat, cum praeſertim in publica commoda peccet ut plurimum, qui litteratorum Virorum moratur tempora? Habes quapropter in hoc Opuſculo & rem tuo inſtituto, ac nomine digniſſimam, & obſervantiae in te meae etſi leviſſimum, ſincerum tamen, ingenuumque teſtimonium, quod ut aequi, bonique conſulas, etiam, atque etiam peto. Vale, Bonamici Litteratorum Virorum eloquentiſſime, meque tuo ſtudio, ac gratia fovere ne graveris.

Dabam Domi Kal. Martiis ann. CIↃIↃCCLXXIII.

IACO-

IACOBUS VOLATERRANUS

SECRETARIUS APOSTOLICUS AD CARDINALES DEPUTATOS

Super Controverſia inter eoſdem Secretarios, & Advocatos Conſiſtoriales.

AUDISTIS ſuperioribus diebus multa allegari a Dominis Advocatis Conſiſtorialibus, propter quae conantur concludere eorum ordinem digniorem eſſe ordine Secretariorum Pontificis, & Sedis Apoſtolicae: propterea non modo contentari mixtim cum eis incedere, ſed digniore loco in actis publicis collocari, & illis omnino praeferri: ut tandem Dominationes Veſtrae Reverendiſſimae in eorum partes concedentes contra Secretarios referant Sanctiſſimo Domino Noſtro in Conſiſtorio Secreto, ut eſt moris. Ac duo precipue allegant ad probandam ſuperioritatem; finem videlicet, nobilior ſit fine Secretariorum, & Nomen, eoque ipſi illu-

illuſtres, Secretarii vero nobiles nuncupentur. Nam in antiqua, & obſervata conſuetudine, & moderna obſervantia, & declarationibus, & decretis Summorum Pontificum non inſiſtunt parum circa illa, iuribus eorum fidentes. Ad quae brevibus reſponderi poteſt, & ita perſpicue, ut non dubitent Secretarii inminutum iri aliquid de dignitate ſua, ſed abſque dubio ſperent augeri per ſententiam Dominationum Veſtrarum, quas ſciunt procul eſſe ab omni affectu, & nullam in eis eſſe perſonarum acceptionem, ſed in ſola veritate iudicium ponere.

Primo de fine pauca afferuntur in medium; nam multa, quae dici poſſent, relinquentur iudicio ſapientiſſimo Reverendiſſimarum Dominationum Veſtrarum, quae illa optime callent.

Non negatur finem Dominorum Advocatorum praeclarum eſſe, & humano generi etiam ſalutarem; quippe oppreſſis ſubvenit, pupillis, viduis, & egenis opitularur; eiectos ex beneficiis ad poſſeſſionem reſtituit,

tuit, & multa alia operatur, quae commodum, & ſalutem hominum non mediocriter concernunt.

Secretariorum autem finis, Reverendiſſimi Domini, qualis ſit, ex ſequentibus eliciat ſapientia veſtra. Nam is tam magni momenti eſt, ut circumſcribi uno vocabulo non poſſit. Serviunt enim Secretarii Summis Pontificibus, Vicariis Domini noſtri Ieſu Chriſti in terris, & ſupremam in humanis poteſtatem tenentibus. Eorum autem miniſterium quid boni afferat, & quem finem producat, paucis advertite.

Quis enim tractatus de Catholica fide? Quis ſtatus totius Chriſtianae Reipublicae? Quis de amovendis haereſibus? Quis de pace conſtituenda? Quis de amovendo bello? Quis de ſedandis controverſiis inter Maximos Reges, & potentiſſimos Principes, & Illuſtriſſimos Potentatus ſcribit, ordinat, & diſponit, niſi Secretarius? His autem tractatibus, qui nobiliores, & maiores in omni hominum actione reperiantur, non videmus.

demus . Horum finem quem nobiliorem , digniorem , & magis ſalutarem reperietis ? Affectus vero quis dat Regibus , & Principibus , vel adimit in maximis rebus, niſi Secretarius ? Quis mirari facit Reges , Principes , & Nationes in his , quae procedunt a Pontificibus , niſi Secretarius ? A quo emanare videmus praeclara omnia , quae ubique gentium leguntur a Pontificibus miſſa . Quis mandata, & inſtructiones , quae dantur Legatis ſummae auctoritatis , miſſis ad exteras Nationes pro rebus maximis , ordinat , & diſponit , niſi Secretarius ? Exempla plurima ſunt ante oculos , & veterum quam plura adduci poſſent in medium : quis igitur neget , Secretariorum miniſterium , & finem , Advocatorum miniſterio , & fine eſſe nobiliorem , & magis ſalutarem ? In hac enim publica ſalus omnium apparet ; in illo privata paucorum . In hoc eſt plerumque ratio rerum maximarum ; in illo ut plurimum minimarum . Illi a privatis mercede conducuntur ad clamandum ab extremis

tremis ſubſelliis; hi vero a Pontificibus mandata recipiunt, & in eorum aulis aluntur. Illis ſemper eſt praemium a pecunia, his a magnis dignitatibus, quibus ſaepenumero honeſtantur in Eccleſia Dei. Exemplis non caret tam praeſens aetas, quam ſuperior. Illi recitatis commiſſionibus, quas mandant memoriae, ad propria revertuntur. Hi Pontifices non deſerunt, & pleriſque parata ſunt non indecora cubicula in Pontificis aedibus. Ex quo praecipue apparet, quam ſit expediens Pontificibus magis Secretarium propinquum habere, an Advocatum. Illi enim raro evocantur a Pontificibus; hi vero qualibet hora operam, & miniſterium exhibent. Et idcirco mirandum eſt ſummopere, quod velint ita praeferri Secretariis, & eſſe propinquiores Pontifici.

Videte, Patres Reverendiſſimi, quam ſint alieni ab inſtituto, & quantum declinent a ſemita veritatis. Eos videmus propinquiores Pontificibus, quorum opera, miniſterio, vel obſequio utuntur frequentius.

tius. Medici ideo non recedunt a latere Pontificis, quia valitudinem, quae illi ante omnia cordi eſt, curant. Ideo Subdiaconi tam propinqui, quia ad miniſterium religionis, cuius Pontifex caput eſt, ſunt neceſſarii. Ideo Auditores, & Clerici Camerae illos ſequuntur, quia pro Capellanis aſſiſtunt, & Cubicularii etiam, quia ſuo miniſterio Pontificem adiuvant. Secretarii ſtatim ſequuntur, ut Pontificis non modo vocem audiant, ſed nutum quoque percipere valeant. Non in dies, & horas modo, ſed in quaelibet momenta eorum opera Pontificibus eſt neceſſaria; ut enim qualibet hora tam diurna, quam nocturna, ad eos ex toto Orbe afferuntur litterae, & nuntii: ita qualibet hora, & quolibet loco eis opus eſt Secretario. Unde videmus Secretariis parari Cubiculum in aedibus Pontificis non modo iis, qui ſunt domeſtici, & magis Pontifici familiares, propter aſſiduum commercium ante Pontificatum; ſed etiam aliquibus ex numerariis, ut dictum eſt diebus ſuperio-

perioribus de Aretino (a), Luſco (b), Blondo (c), Auriſpa (d), & Poggio (e), ampliſſimis Viris, quibus toto Pontificatu Eugenii fuerat deſtinata dies negociorum qualibet hebdomada, & aſſignatus locus in Palatio, ad quem divertebant. Illis etſi pares non ſimus, tamen non experiuntur Pontifices inutilem, nec indecoram operam noſtram. Et etiam Domini Advocati, quamvis Viri praeſtantiſſimi ſint, tamen pro eorum modeſtia fatebuntur, non eſſe eorum Patribus adaequandos. Multa praeterea afferri poſſent, propter quae propinquitas Secretariorum apud Pontificem neceſſaria eſt: Advocatorum

(a) *De Leonardo Aretino Secretario ſub Innocentio VII., Greg. XII., Alexandro V., & Iob. XXIII. vide cl. Philippum Bonamicium* de Claris Pontificiarum Epiſtolarum Scriptoribus *pag.* 127.

(b) *De Antonio Luſco Secretario ſub Greg. XI., & Mart. V. vid. ibid. pag.* 140.

(c) *De Flavio Blondo Secretario ſub Eugenio IV. vid. ibid. pag.* 150.

(d) *De Iohanne Ariſpa, ſeu Auriſpa Secretario ſub Eugenio IV., & Nicolao V. vid. ibid. pag.* 153.

(e) *De Poggio Bracciolino Florentino Secretario ſub Innoc. VII., Greg. XII., Alexandro V., Iob. XXIII, Mart. V., Eugen. IV., & Nicol. V. vid. ibid. p.* 125.

rum vero non modo non neceſſaria, ſed pene ſuperflua praeſentia, exceptis Conſiſtoriis publicis, in quibus ad ornandam maieſtatem illam loci, & ut tempus vacuum non ſit, cum exſpectantur Cardinales, ut ſcitis, Legati, Oratores, & eiuſmodi. Nam abſque propoſitionibus ſuis, poteſt ſubvenire Pontifex oppreſſis, ut ſubvenit. Oſtendit idem ſcripta ſupplicatio, quod lingua loquitur. Itaque ad oſtentationem potius (bona venia ſit dictum) quam ad neceſſitatem inventae ſunt propoſitiones illae conſiſtoriales, & ut maiorem mercedem recipiant a paupe-ribus clientulis. Haec ita ſunt perſpicua, ut alia probatione non indigeant.

De nomine pauca ſubnectentur. Quod videlicet maius quid ſignificat illuſtris, quam nobilis, Grammatici videantur. Hoc tamen ſequeretur inconveniens, quod Secretarii aequiparentur Ducibus, qui nobiles Advocati a Regibus, qui illuſtres a Pontificibus nuncupantur. Eadem quoque ratione aequipararemus Presbyteros infimae ſortis, quibus

bus adiicimus venerabile nomen, Romanis Imperatoribus: quos Leo Papa, & Vir doctiſſimus Euſebius venerabiles appellant pleriſque in locis. Miſſa facimus quamplurima exempla, quod Secretarii apud Reges & Principes in maiori honore ſunt, quam Advocati. Nam ut obmittamus, Iohannem Apoſtolum, & Evangeliſtam, cui revelata ſunt ſecreta caeleſtia, & qui ſupra pectus Domini in coena recubuit, & quem Salvatoris voce valde honorandum confitemur, & cui idem Salvator Matrem commendavit; Ut obmittamus, Scribam Regis Porſennae ita honoratum ab ipſo Rege, ut Scaevola putans interfeciſſe Porſennam, Scribam ipſum interfecerit: Et ut obmittamus, Mecenatem tantae fuiſſe auctoritatis apud Auguſtum, quantae alium non legimus; Veniamus ad noſtralia.

Nonne apud Romanum Imperium Archiepiſcopus Trevirenſis eſt honoratior propter Cancellariam, quam regit? Iidem apud Reges Franciae, Hiſpaniarum, & Angliae

gliae ſunt Cancellarii omnes. Apud Palatinum quis eſt honoratior Secretario? Scitis de noſtris, quem locum habent, & qua ſint auctoritate Secretarii Principum Italiae; non eſt opus nominare illos, quoniam apud eius rei ignaros non loquimur.

Circumſcribitur ſuo nomine Advocatus, quum ſe nominat Conſiſtorialem, quaſi nulli alteri vel loco, vel muneri ſit deputandus. Secretariorum vero nomen univerſale eſt in Dei Eccleſia, cum dicitur Secretarius Apoſtolicus, & Sanctae Romanae Eccleſiae. Videri poteſt Bulla Gregorii de Privilegiis conceſſis Venerabili Monaſterio de Sublacu, ubi ex antiquo more ſubſcribebant ſe Cardinales cum Pontifice. Leguntur etiam verba haec ſcripta per Talem Sanctae Romanae Eccleſiae Scriniarium. Nam non dubitant Domini Advocati, Secretarios, & Scriniarios eoſdem eſſe: Et nunc etiam domeſticum Pontificis Secretarium videmus ſervare Scrinia Librorum, Arcana Pontificum, & Sanctae Sedis Apoſtolicae continentia.

CONTRA ARTICULOS.

Ad primum ita corrigere poſſent Secretarii Advocatorum ſcripta in eorum arte: quemadmodum Advocati Brevia in his, quae ad iuſtitiam pertinent, & ſi Brevia ſcirent componere Advocati, ſcirent quoque clare Secretarii Doctores exiſtentes legum allegationes. Nam vidimus D. Gregorium Lollium (a) primo Advocatum, inde Secretarium, componentem Brevia, & allegationes in Iure.

Ad ſecundum, maior eſt honor habendus Secretario ex infimo aſſumpto, quam doctorato ad Advocationem. Nam videtur illi datus honos propter ſolam virtutem; Advocato vero propter gradum Doctoratus, qui datur etiam hominibus ignorantibus.

Ad tertium videre licet in Romana Curia multis maioribus difficultatibus venire hominem in Secretariam Pontificis, quam aliquem Doctorem in Advocationem. Do-

(a) *De Gregorio Lollio nihil habetur apud Carolum Carthbarium in* Syllabo Advocatorum Sacri Conſiſtorii &c. *Romae* 1656. *in fol., neq. apud Bonamicium in opere citato.*

ctoratui vero ſex, vel ſeptem anni ſufficiunt. Secretariatui autem & viginti non ſufficerent, niſi ſuppleret Pontificis bonitas, & clementia. Labor igitur, & difficultas ita in uno eſt, pro ut in altero.

Ad quartum, nobilior finis eſt Secretarii, quam Advocati, illum publica Chriſtianorum cauſſa, hunc privata detinet occupatum. Ille de rebus maximis tractat, hic de infimis ut plurimum; ille a Pontifice, & Collegio, & Cardinalibus mandata recipit, hic a privatis inſtruitur.

Ad quintum, magis patet aſcenſus ad maiora Secretario, quam Advocato; & ſunt nota, & in dies plures Secretarii promoventur, quam Advocati. Res in promtu eſt; Ravennas (a), Papienſis (b) noſtris temporibus.

Ad

(a) *Opinor ſub Ravennatis nomine intelligi Benedictum Accoltium origine Aretinum, nativitate Florentinum, Secretarium Apoſtolicum ſub Hadriano VI., & Clemente VII., qui primum fuit Gaditanus Epiſcopus, mox Cremonenſis, poſtea Archiepiſcopus Ravennas, ac demum Cardinalis. Vid. Bonamicium cit. oper. pag.* 219.

(b) *Papienſis nomine indi-*

Ad ſextum, ita poſſumus dicere Chriſtum Procuratorem humani generis, prout etiam Advocatum, & ſic pares eſſent Procuratores Advocatis: quod vos negatis, Domini Advocati.

Ad ſeptimum, ſi locus dignior dandus eſſet longiorem laborem paſſo, & ſtipendia duriora perpeſſo, multi praeferrentur & Advocatis, & Secretariis, & hoc patet. Quod autem Advocatorum officium perpetuum ſit, Secretariorum vero temporale, negatur expreſſe. Vocantur enim Secretarii Pontificis, & Apoſtolicae Sedis, hoc videre licet in omnibus conceſſionibus, & Apoſtolica Sedes perpetua eſt.

Ad octavum reſpondetur, quod ingenia paria ſunt & Secretariis, & Advocatis. Nam quamplurimi ſunt Doctores, qui nullum, vel parum habent ingenium. Quod Orator perfectus eſſe non poſſit abſque

indicari cenſeo Iacobum Ammanatium Lucenſem, qui Card. dein fuit, & Epiſcopus Papienſis, quique Secretarii munus obiverat ſub Calliſto III., & Pio II. Vid. Bonamicium ibidem pag. 168.

ſcientia Iuris, non negatur; ſed perfectus ore nunquam eſt inventus; loquimur nos de Oratore, qui nunc cadit in humanis, non de eo, qui ſomniatur, ita etiam Iure conſulto perfecto eſt opus multis aliis cognitionibus; quarum Domini Advocati ſunt omnino ignari.

Ad nonum, ſi Iura non faciunt mentionem de Secretariis, non faciunt etiam mentionem de Clericis Camerae, & nonnullis aliis, qui Secretarios, & Advocatos praecedunt.

Ad decimum, ſi Cardinalis Sancti Chryſogoni (a) fecit mentionem de Advocatis, & non

(a) *Card. S. Chryſogoni fuit Hadrianus Caſtellenſis Alexandri VI. Secretarius, quem heic innui puto, & de quo agit Bonamicius laud. oper pag. 194., alique plurimi. Verum quo loco meminerit Advocatorum, non autem Secretariorum, non novi. Locus hic deſideratur inter cetera Monumenta anecdota, quae de Hadriano Cardinale plena manu congeſſit Vir Cl. Hieronymus Ferrius Longianenſis, nunc in Ferrarienſi Academia Eloquentiae, & Romanarum, Graecarumque Antiquitatum Profeſſor in ſuo nuper edito* Commentario de rebus geſtis, & ſcriptis Hadriani Caſt. Cardinalis. *Quare heic nunc addere praeſtat*

& non de Secretariis, ſit in nomine Domini, fuit de eis facta mentio tamquam de inſuetis; Nam de his, qui conſueverunt in-

 tereſſe,

ſtat nonnulla, quae & in eiuſdem Teſtimoniis ibidem editis haud habentur. In Collectanea Epiſtolarum Ludovici XII. Galliarum Regis, quam Vir Clar. ad pag. 125. *laudat, praeter Maximiliani I. Imp. Epiſtolam, qua Hadriani Card. mentionem facit, habetur inſuper Tom. IV. pag.* 74. *Epiſtola altera Alberti Pii Carpenſis, eiuſdem Imper. Oratoris apud Romanam Sedem, ubi Maximilianum certiorem faciens de Comitiis Vaticanis poſt Iulii II. Romani Pontificis obitum, haec de Hadriano noſtro ſignificat*: Quod animadvertentes nonnulli ex ſenioribus in invidiam, & odium S. Georgii (*ſcil. Card. Raphaelis Riarii*) ad partes R. D. de Medicis (*Iohannis nempe, qui dein fuit Leo X.*) acceſſerunt, & inter ceteros unus ex his fuit Rſmus Card. Hadrianus, qui tamen pertinaciter obſtiterat ipſi R. D. de Medicis. Cum autem intellexit, rem declinare ad R. P. Sancti Georgii, timore perculſus exclamare coepit: Si hic Pontifex creatur, ultra Sauromatas fugere hinc libet. *Leonardus Cecconius Montaltinus Epiſcopus doctiſſimus in ſua Praeneſtinae Urbis Hiſtoria lib. IV. cap. V. pag.* 303. *memorat Caput S. Agapeti Martyris ad Divi Franciſci Corneti in theca reconditum, ubi praeter ſtemmata Cardinalium Ioh. Vitellenſis, Roborei, & Coſtae ait Caſtellenſis noſtri quinetiam inſigne ad latera haberi. Tandem Hadriani noſtri vitam compendioſe expreſſit Iokerius Lipſienſis in eius Lexico Litteratorum Germanice ſcripto To. I. p.* 103.

tereſſe, non fuit opus, prout de Secretariis, qui ſemper neceſſe eſt, ut interſint, ut alibi dictum eſt.

Ad undecimum, quod Advocati uſi fuerint ab antiquo habitu, dicitur, quod etiam Secretarii uſi ſunt; apparent ſculpturae ſepulcrorum: ſed poſito, & non conceſſo, quod noviter uſi ſint, & tolerentur, immo increpentur, & pelluntur e Cappella ſine habitu exſiſtentes: Cardinales etiam quotidie augent inſignia, & ante uſum Pilei, etiam erant Cardinales, ut ſunt & antiqui, & auctoritate magna.

Ad duodecimum, quod eorum finis verſetur circa ea, quae dirimunt ambiguitates Cauſſarum, haec levis eſt ratio. Multi Mercatores, Artifices, & privati Cives eorum arbitrio dirimunt quotidie ambiguitates Cauſſarum; & ſi lapſa erigunt, idem agunt commentarii. Providenti humano generi non minus Secretarii, quam illi, ut in Allegationibus dictum eſt.

Ad tertiumdecimum, quod fundatur cir-

circa defenſionem Iuſtitiae, ita fieri debet quantum fiat, illi ſciunt; ſed de fine, circa quem verſantur Secretarii, iam eſt dictum. Nihil eſt, in quo ſit ambigendum. Et ſi Pica, & Organum vocantur Secretarii explicantes conceptus Pontificum: quales illi reputabuntur explicantes conceptus hominum nullius conditionis, & gradus?

Ad quartumdecimum, ſi Sacerdotes appellantur Advocati, & non ſunt: ideo non debent eſſe in illa reverentia, qua ſunt Sacerdotes, & conſequenter ſubreptitie utuntur eo nomine. Secretarii vero omnes laici non ſunt, prout ex Advocatis pauci Presbyteri.

Ad quintumdecimum, Advocati in Cauſſis perorandis in Conſiſtoriis orant, non negatur, ſed orant propter quamdam formam, & ut non videatur vacuum illud tempus exſpectationis; ſed Secretariorum etiam opera utuntur Pontifices in Conſiſtoriis, & ſaepe in illum Ordinem.

Digitized by Google

RELATIO LEGATIONIS
CARDINALIS MARCELLI CERVINII
LEGATI APOSTOLICI
APUD CAROLUM V. IMP.

NUNC PRIMUM EDITA.

Digitized by Google

IOHANNIS CHRISTOPHORI AMADUTII

AD CL. VIRUM

IOH. LUDOVICUM BLANCONIUM

SERENISSIMI SAXONIAE ELECTORIS

A CONSILIIS

ET APUD CLEMENTEM XIV. P. O. M. ORATOREM

PRAEFATIO.

SCRIPTIONI huic, quam ex ſchedis apud me exſiſtentibus nunc primum profero, occaſionem fecit ea rerum perturbatio, quae exorta primitus iis in plagis, quas tu, BLANCONI eruditiſſime, per plures annos incoluiſti, univerſam fere Germaniam dein pervaſit magno cum Religionis noſtrae, & Romanae Sedis detrimento. Mala haec adhuc exſtantia tu tuis oculis luſtraſti, qui itinera etiam plura per varias Germaniae regiones inſtitueris. Quare non iniucundum tibi nunc erit ea denuo domi, & eminus perceuſere, eaque etiam in hac ipſa ampliſſimi Legati Marcelli Cervinii Relatione quodammodo reviſere. Te non latet, qui nempe litteraturam omnem cum ſublimioribus ſcientiis concilias, Marcellum Cervinium, dein S. R. E. Cardinalem, ac tandem Marcellum II. Pontificem Maximum, a Paullo III. iuſſum fuiſſe, ut eſſet a conſiliis, & ab epiſtolis Alexandro Farneſio Cardinali, ac ipſum poſtea renunciaſſe Protonotarium Apoſtolicum, Epiſcopum Neoca-

Neocaſtrenſem, & Nuncium apud Carolum V. Romanorum Imperatorem. Aſt redeunte Romam Card. Farneſio, qui apud Caeſarem cum eodem Marcello Nuncio Legatum agebat, Pontificis, & omnium Cardinalium ſententiis ipſe Marcellus in eadem Legatione ſucceſſor ſtatuitur, quam ampliſſima ſane cum laude adminiſtravit (a). *Cardinalis dein factus eſt a Paullo III. anno* CIↃIↃXXXIX., *annoque ſequenti apud Carolum Caeſarem Legatus remittitur; ſiquidem Pontifex, antequam ipſe ad Caeſarem accederet, pileo rubro, & annulo donatum voluit, quae nimirum ad ipſum ſubmiſit litteris datis Romae* VIII. *Idus Maii anni ſupradicti* (b). *In Tabulario ſecretiore Vaticano multa & ſcripta, & edita ultro, citroque habentur de iis, quae a Marcello in Germania quoad reformationem Eccleſiae tractabantur. Inſuper in Volumine Ms. Bibliothecae Vallicellanae Romae ſign. litt. L. n.IV. pag.LVI., & ſeq. habentur Epiſtolae Iohannis Moronii Epiſcopi Mutinenſis, & Apoſtolicae Sedis in Germania Nuntii, Marcelli Cervinii Card. Legati, Iohannis Pagii item Nuntii, atque alia diverſi generis monumenta de negotiis ab ipſis apud Germanos, & Imperatorem, ipſo Paullo III. Rom. Pont. adminiſtratis. Plures etiam epiſtolae Marcelli noſtri occurrunt, quas ſcripſit, cum Secretarii munere apud Alexandrum Farneſium Card. fungeretur, atque aliae etiam nonnullae, quarum quatuor leguntur inter Epiſtolas Federici Nauſeae*

(a) *Vid. Ciacconium in Marcello.*

(b) *Vid. Petr. Polidorium in Vit. Marcelli II. §. XIV. pag.27., & ſeqq.*

ſeae (a). *Secretarii Apoſtolici munus, quod geſſit ſub Romanis Pontificibus Clemente VII., & Paullo III., ſciens praetereo, quod de eo ſatis egerit Vir Clariſs. Philippus Bonamicius* (b); *quemadmodum & Iguinae Eccleſiae Sacerdotium, quod Marcellus ipſe tenuit, nunc haud attingo, quod de eo ſatis verba fecerit* ὁ Μαρίνος *Maurus Sartius in eius Commentario* de Civitate, & Eccleſia Eugubina, *ubi inſuper duas Marcelli Epiſtolas Eugubii datas ad Iulium III., & inter Epiſtolas ad Principes etiam editas ipſe memorat* (c). *Nonnulla alia ad Tridentinum Concilium pertinentia ex autographa manu Marcelli noſtri, tum eius, aliorumque ad ipſum epiſtolas protulit Vir Cl. Ioh. Dominicus Manſius in Appendice ad Stephani Baluzii Miſcellanea* (d). *Italicum tandem eiuſdem Epigramma de Iſabella Graeca Puella Monaſticam vitam ingreſſa edidit Cl. Iohannes Lamius* (e), *ipſiuſque epiſtolam idem quoque memoravit ex Codd. Mſs. Bibliothecae Riccardianae Florentiae* (f). *Aſt horum Scriptorum neminem Ciacconium nempe, Polidorium, Caſtanaeum, Bonamicium, Sartium, Manſium, Lamium, alioſque, qui Marcelli geſta, & opera illuſtrarunt, hanc,*

(a) *Vid. Nomenclat. S. R. E. Cardinalium (auctore Henr. Ludov. Caſtanaeo) Toloſae* 1614. *p.* 191.

(b) *De Claris Pontificiar. Epiſtolar. Scriptor. pag* 230. *edit poſter.*

(c) *Num. LV. pag.* 223.

(d) *Tom. III. pag.* 492. *ad* 505. *edit. Lucenſis ann.* 1761. *Vid. & To.IV. pag.* 141.

(e) *Catalogo de' Codici Mſs. della Biblioteca Riccardiana pag.* 121.

(f) *Ibid. pag.* 277.

hanc, quae nunc primum prodit, Relationem noviſſe video. Forte in aliquo ex ſubſequentibus Voluminibus horum Anecdotorum publici iuris inſuper faciemus elegantiſſimam Marcelli noſtri Italicam Verſionem Libri de Amicitia *M T Ciceronis, quae adhuc inedita eſt, & cuius pretioſum apographum apud nos adſervamus. Fruere interim,* BLANCONI *Vir Cl., hac ſpectatiſſimi Legati, Epiſcopi, Cardinalis, & Pontificis Summi ſcriptione, quam tibi ego nunc ſacram volui, ut hinc ſaltem aliquod exſtaret meae erga te obſervantiae, & amicitiae argumentum, quando nunc maiora, quae tribuam, quaeque tuis meritis plenius reſpondeant, non adſunt. Vale.*

Dabam Domi Nonis Martiis anni CIↃIↃCCLXXIII.

RELA-

RELATIO LEGATIONIS CARDINALIS DE NICASTRO

IDEST

MARCELLI II

APUD CAESAREAM MAIESTATEM

POST DISCESSUM CARDINALIS FARNESII.

RENUNCIATURUS Sanctitati Vestrae ea, quae in Legatione mea acciderunt: Primum dicam illa, quae ad Conventum Agenotae habitum pertinent, deinde ea, quae ad statum Ecclesiae, in iis, quae perlustravi, locis attingunt. De Conventu quo tempore primum agi coeptum est, Reverendissimus, & Illustrissimus Dominus meus Cardinalis de Farnesio, qui tunc apud Caesaream Maiestatem erat, ut Vestrae Sanctitati notum est, dixit sententiam suam forsan liberius, hoc est, eum tractandae religionis modum sibi quidem minime probari: additis etiam, & conscriptis, quibus ad id

movebatur, rationibus. Ego vero poſt diſceſſum Suae Reverendiſſimae Dominationis cum audirem Conventum ipſum haberi tum, neque ſolum haberi, ſed in eo agi de ſumma noſtrae religionis, nulla facta mentione Sanctitatis Veſtrae, nulla huius Sanctae Sedis Apoſtolicae, periculoſum ſimul, ac peſſimi exempli eſſe ratus, eam rem cum Caeſarea Maieſtate vehementer expoſtulavi cum commemoratione priorum temporum Eccleſiae, & Dei erga ſe meritorum, petiique a Sua Maieſtate, ut Veſtrae Sanctitati ſignificaret, quem ad finem huiuſmodi Conventus haberetur, id equidem hactenus omnino ſcire non poteram, & interim curaret, ne quid Reſpublica Chriſtiana detrimenti caperet in eo Conventu. Tum iis mihi Caeſarea Maieſtas reſpondit fere: Conventum in Germania ideo haberi, quod ea natio, quae propter Religionis diſſidium maximo in periculo verſetur, mirifice cupiat, ut tandem aliquando huic rei aliquis imponatur modus. Suae Maieſtati compertiſſimum fuiſſe, niſi

aliquis Conventus indiceretur, illos sese sine ulla auctoritate congregaturos, nunc vero longe praestare, si quod faciendum nihilominus ab eis erat, iussu suo fieret, praesertim cum ei Conventui praefuturus esset Sereniſſimus Romanorum Rex eius frater, qui pro sua pietate, & in hanc Sedem observantia, magnam esset publicae causſae utilitatem allaturus. Quod vero hactenus in eo Conventu nulla mentio Sanctitatis Vestrae habita sit, pro ea, quanti eam semper fecerit, & faciat, graviter, & moleste tulisse, sed putarem tamen, quae a fratre suo, qui illic praesens adsit, permittantur, in bonam partem accipi debere. De se vero hoc omnino polliceri, ac recipere, nihil de vera, & a Patribus accepta Religione remissurum, neque aliis permissurum, nisi ea, quae, & rerum, & temporum qualitate pensata, Vestrae Sanctitati, & huic Sanctae Sedi e republica esse videbuntur; orare tamen Sanctitatem Vestram, ac precari, ut quemadmodum ei antea significaverat, ad eum

Conventum Legatum aliquem mitteret, atque ad me tunc converſus, dixit, ſe etiam, atque etiam cupere, ut quamquam is locus, ubi tunc in Flandria eramus, a Conventu ipſo non longe abeſſet, ego id muneris, ne id diutius differretur, obirem, Legati enim praeſentiam ingentes animos omnibus bonis addituram; ad quam quidem rem ſaepe, & poſtea per Miniſtros ſuos me adhortata eſt. Tunc ego primum Suae Maieſtati, deinde quoque eius Miniſtris, dixi, me in Italiam iamdudum revertentem, ad hoc fuiſſe a Veſtra Sanctitate de medio itinere revocatum, ut apud Maieſtatem Suam huius Conventus cauſſa commorarer, a qua, veluti a quodam bonitatis fonte manare debere quidquid aut boni in eo Conventu reportaturi eſſemus, aut devitaturi mali, nec vero quidquam in eo ſtatui debere, de quo Maieſtas Sua certior antea non reddatur, & num id ſibi placeat, aut non placeat, conſulatur. In Germania vero alium Legatum deſignatum eſſe, qui, ut dece-

decebat, prudentia, bonitate, & doctrina me longe anteiret; humeros meos pares tanto oneri ferendo non esse; in summa proficisci aliquo non posse iniussu Beatitudinis Vestrae. Itaque me omnia haec ad eam perscripturum esse dixi, & accepto responso, sine ulla mora eius voluntatem facturum. Igitur dum haec a me Sanctitati Vestrae perscribuntur, interim Principes Germanorum in Conventu congregati, ut qui in eo iam supra duos menses non sine magna impensa de suo more stetissent, videntes parum inter se, & omnes Protestantium convenire (ita enim ipsos haereticos appellant, quod ii, ut dicunt, inter cetera protestati sunt, hanc Sanctam Sedem pro capite Ecclesiarum non cognoscere, sed omnes Episcopos, atque adeo Presbyteros pari praeditos potestate esse) ad exitum omnibus modis properare, & aliquam viam discedendi invenire studebant. Quare factum est ut non multos post dies Conventus in eam discessionem dimitteretur, quae tam pri-

dem Veſtrae Sanctitati tranſmiſſa eſt. Cuius ſumma eſt, ut Diaeta Imperialis a Caeſarea Maieſtate indiceretur, & interim haberetur quoddam colloquium, in quo homines docti xxii. pari utrimque numero de concordanda Germania diſceptantes modos invenirent, ac digererent, qui referri poſtea in Diaeta haberent. De qua re a me nunc ideo parum multa dicentur, ne in mea ſententia explicanda male forte ominari viderer. Hoc tamen unum ſilentio non tranſibo; nihil a me eſſe vel cum Caeſarea Maieſtate, vel cum eius Conſiliariis praetermiſſum, quod ad diſſuadendum huiuſmodi colloquium, multo iam tempore ab haereticis expetitum, & nunc demum in eorum gratiam conceſſum pertineret; adeo, ut cum mihi rationibus reſponderi non poſſet, de periculis quidem, quae valde multa a me inde impendere proponebantur, in meam ſententiam veniretur, ſed tamen diceretur ſtatum temporis in praeſentia non tuliſſe, ut ex eo Conventu tot Principes, re penitus infecta, diſceſſiſ-

ſceſſiſſent ; nec vero in eo quicquam fieri potuiſſe , ſi non eſſet conſenſum in colloquium . Quod quia futurum erat mere colloquium , hoc eſt nihil in eo ſtatui , ſed integra omnia in Diaetam reiici deberent : fore ita minus periculoſum , praeſertim ſi Sanctitas Veſtra Legatum illuc ſuum , quemadmodum ei per diſceſſionem Agenotae factam licet , & aliquos homines doctos deſtinarit ; Quod etſi crederent , a Veſtra Sanctitate fieri omnino debere , mecum tamen de ea re multis diſputatum , & actum eſt . In Diaeta vero , quid novi acciderit , Caeſarea Maieſtas praefutura eſt ; plures & Legati Sanctitatis Veſtrae exſpectantur , cum quo uno verbo Caeſarea Maieſtas me commeatum a ſe petentem dimiſit , ſed antequam ab ea tamen diſcederem , egi cum Sua Maieſtate diligenter de pace cum Rege Chriſtianiſſimo perficienda , tametſi ſaepe antea idem feceram , ut a Veſtra Sanctitate habui in mandatis . Qua in re ne quid omnino ulla ex parte deeſſet , non parum etiam iens ,

& rediens cum Maieſtate Chriſtianiſſima de via laboravi. Verum ab utroque idem habui reſponſum, fore ſcilicet per ſe non ſtetiſſe, quominus pace iampridem facta melius rebus Chriſtianis in maximo periculo hinc, atque hinc conſtitutis provideretur, inducias tamen beneficio Sanctitatis Veſtrae Niceae factas ſervaturos ſe interim eſſe dixerunt. Sed ut ad res Germanicas revertar, colloquium ad diem XXVIII. menſis praeteriti Wormatiae indictum erat: Diaeta ad Epiphaniae feſtum Ratisbonae erat indicenda. Dixi pauca e multis quam breviſſime potui de Conventu; Nunc in quo ſtatu res Eccleſiae in illis regionibus ſint, paucis oſtendam. Vix credibile eſt, Beatiſſime Pater, quantum Germanica natio parvo tempore immutata ſit; ab ea enim pietate in Deum, & in hanc Sanctam Sedem obſervantia, quae ante has haereſes exortas ſingularis apud eos populos vigebat, ad luxum, ad commeſſationes, ad libidines, denique ad impietatem ſe converterunt, & ut natura ſunt

nimis

nimis in utramque partem, toto animo ſe a nobis abalienaverunt, adeo, ut qui adhuc in Eccleſiae obedientia perdurant, bonos, qui pauci ſunt, ſemper excipio, metu magis ſuorum Principum id faciant, quam eorum ipſorum voluntate, cuius rei cauſſam cum inquirere vellem, inveniebam eſſe contrariam ei, quae olim ſibi fuerat ad fidem, & obedientiam noſtram deveniendi. Simplex, & Apoſtolicus vivendi modus ab hac Sancta Sede eis commonſtratus, ac traditus, cultus frequens, & caſtus in Eccleſiis, diſpenſatio bonorum in pauperes, & pios uſus, caritas erga proximum, praedicationes ſane fecerunt, ut illae etiam in extremo Orbe poſitae nationes fidem reciperent, & nobiſcum conſentirent, cum antea ab eis crebrae in Italiam inundationes fieri ſolerent; Nunc vero cum in eorum Eccleſiis nihil horum fere inveniatur, ſed penitus contraria omnia, & oppoſita, animi quoque eorum mutati ſunt, & qui priores ad fidem olim venerunt, ſcilicet ipſe populus, & multitudo

priores deſierunt. Quod quidem quanti ponderis, ac momenti ſit, praeteritorum temporum hiſtoriae, ſi quid umquam cum Regibus, ac Principibus huic Sanctae Sedi negocii fuerit, & controverſiae, ſatis declarant; populorum enim fraeno ad ſuos Principes coërcendos, ac domandos ſaepe uſa eſt; quae res eſt una, quae hoc noſtro tempore maximum mihi incutit terrorem. Itaque cum haec mala omnia ex hoc potiſſimum proveniant, quod non ii amplius in Epiſcopos eligantur, qui optimi ſint, & in eorum Eccleſiis reſidendo Epiſcopalia munia rite obeant, ſed contra ii potius, qui favore, & gratia pollentes, ac deinde ſuo more viventes, greges ſibi commiſſos deſerant, ac negligant, eo res pervenit, ut qui Presbyteros ubique male audientes iniuria afficiant, & bona Eccleſiaſtica diripiant, aut ad haereticos transfugiant, videantur ſe obſequium gratiſſimum praeſtare Deo. Cui rei ut provideatur a Veſtra in primis Sanctitate, poſt tot a ſe hactenus in Eccleſia Dei

Dei bene, & praeclare gesta, ab omnibus bonis summo cum desiderio, & sui nominis gloria sempiterna exspectatur. Haec sunt fere, Beatissime Pater, quae mihi tum agenda, tum dicenda de Religione acciderunt; in quibus si pro mea tenuitate aliquid sit offensum, Sanctitas Vestra me excusatum habeat, studium quidem certe non defuit.

ALDI

Digitized by Google

ALDI MANUTII

PAULLI FILII ALDI NEPOTIS

DE FALSA ANTIQUORUM RELIGIONE DEQUE LARARIO

COMMENTATIO HISTORICA

HABITA IN FLORENTISSIMA ACADEMIA PISANA

Atque ex Schedis Mſs. nunc primum in lucem edita.

Digitized by Google

IOHANNIS CHRISTOPHORI AMADUTII

AD CL. ET ERUDITISSIMOS

ACADEMIAE ETRUSCAE CORTONENSIS

SOCIOS

PRAEFATIO.

CUM mihi insignis beneficii vestri, Socii eruditissimi, memoria recurrit (recurrit sane mihi quam saepissime, ac grata semper sum-mopere) quo me in coetum vestrum spectatissimum, Lucumone Praesule amplissimo Mario Guarnaccio Volaterrano, Viro omnigena eruditione, ac Libris editis clarissimo, cooptatum voluistis (a)*, eo tangor grati animi sensu, eaque de vobis benemerendi voluntate percellor, ut publicum aliquod observantiae, & officii erga vos mei argumentum emittendum necessario intelligam. Dum tamen maiora & cogito, & molior, quae non ita cito sint proditura, aegre sane ferebam desiderare vos diutius officium meum, quod idcirco nunc ego inscripta vobis de hoc Aldi Manutii Iunioris anecdoto Opusculo Praefatione, aliqua saltem ratione, quae & instituto vestro respondeat, & vestram deceat eruditionem, persolvere satius existimavi. Prodit quapropter nunc primum haec Aldi nostri Commentatio Historica de falsa Antiquorum Religione, de que Lrario ex apographo apud me exsistente, quod ex Codice Ms. Vaticano desumptum*

(a) *Diploma datum est ipsis Nonis Aprilis anni* CIↃIↃCCLXXI.

ptum coniicitur . Habita haec eſt , ut ex fronte ipſa colligitur , in florentiſſima Academia Piſana , dum in ea humaniores litteras tum Latinas , tum Graecas Aldus doceret . Siquidem poſtquam ipſe in Veneta , & in Bononienſi Academia ſumma cum laude verſatus eſſet , Magni Etruriae Ducis providentia Piſanae Academiae Profeſſoribus accenſetur . Paratus ipſe ad hoc munus apparet uſque a die IX. Kal. Decembris anni CIↃIↃLXXXVI. , quo litteras dedit Bononia ad Georgium Contarenium Venetias (a) *, quibus ipſum commode hac de re certiorem facit . Ceterum ob hiemalis temporis impedimenta* (b) *Bononiae ſuperſedit , nec ab ea Civitate ipſum diſceſſiſſe patet , niſi poſt diem V. Idus Martias inſequentis anni , cum ſcilicet poſtremae eius litterae ibidem exaratae hac ipſa die ſubnotentur* (c) *. Hinc proceſſit Florentiam , ubi plures dies moratus eſt , ut ex aliis eiuſdem epiſtolis palam eſt* (d) *. Piſas tandem venit vel ad Aprilis finem , vel ad Maii initium , cum ab hac Civitate nemini ab ipſo datae epiſtolae habeantur , niſi a. d. X. Idus Maias anni , quem diximus, CIↃIↃLXXXVII.* (e) *. Dum ad Piſanam Cathedram invitatus eſt Aldus , oblata ei etiam fuit altera Archigymnaſii Romanae Sapientiae , quam Marcus Ant. Muretus vir ſummus obtinuerat , quamque ipſe alia fide obſtrictus adire nequi-*

(a) *Lettere Volgari di Aldo Manucci . In Roma 1592 preſſo il Santi , e* Comp. *num.* 80. *pag.* 71.

(b) *Ibid. epiſt* 85. *die* 28. *Decemb.* 1586. *pag.* 94.

(c) *Ibid. ep.* 101. *p.* 98., *& epiſt.* 102. *pag.* 99.

(d) *Ibidem epiſt.* 103. *pag.* 100. , *& ſeqq.*

(e) *Ibidem epiſt.* 109. *pag.* 105.

quivit (a). *Feriarum Autumnalium tempore, hoc ipso anno, Lucam petiit, cuius incolatu plurimum delectabatur, ut ex duabus eius epistolis, quas ibidem scripsit, colligere est* (b). *Pisas dein ad munus suum regressus est, quod ibidem ipsum exercuisse usque ad subsequentem annum* CIↃIↃLXXXVIII., *manifestum fit ex reliquis eiusdem epistolis, quarum quae omnium postrema Pisis data est, pridie Nonas Novembris suprascripti anni subsignata cernitur. Inscripta haec est Viro Cl. Angelo Roccae Eremitae Augustinensi, cui Aldus significat proximum eius adventum Romam, ipsiusque laetitiam ob Sixti V. Pont. Max. praeceptum, quo cum ceteris eruditissimis viris ad Bibliae Sacrae emendationem, novamque editionem peragendam designabatur* (c). *Hoc quidem tempore abdicasse se Manutium nostrum a Pisana Cathedra, certo certius est, cum praesertim tunc in eadem successerit Dominicus Mancinius Cortonensis, ut nos comiter per litteras monuit Vir ingenuus, & eruditus Iohannes Talaminius, qui etiam, quae Morhophius* (d) *ex Scotii Itine-*

(a) *Vid. eius epist.* 97. *pag.*94., *ubi Iuliano Goselinio Mediolanensi haec narrat*: Rinonciata la Segretaria di Venezia, & la Lettura venni a questa Catedra (*Bononiae*), & di quì ora parto per Pisa al servigio del Serenissimo Gran Duca, chiamato anche a Roma nel luogo del Mureto, dove ora non posso andare, trovandomi obbligato a Sua Altezza Serenissima. *Vid. & epist.* 104., & 105. *pag.*201., *& seqq.*

(b) *Vid. ibid. epist.*219., *&* 220. *pag* 191., *&* 194.

(c) *Vid. ibid. epist.*273. *pag.*236.

(d) *Polyb. lib.*1. *cap.*3. *num.* 5.

Itinerario de legata Piſanae Academiae a Manutio Bibliotheca octoginta mille Voluminum ingerit, falſa prorſus affirmat. Quapropter ceterae eiuſdem Manutii litterae ſane elegantiſſimae uſque ad annum CIↃIↃXCII., *quo etiam typis commiſſae ſunt, Romae ſcriptae conſpiciuntur. Haec momenta temporis, quo Piſis Aldus noſter conſtitit, ex eius epiſtolis forte nimis ſedulo perſequi nobis nunc libuit, cum fruſtra maiora, & accuratiora ex Piſanae Academiae Scriniis, ubi deſiderantur, petierimus, nullaque quinetiam ex Stephani M. Fabrucci Commentariolis de Piſano Lycaeo, quae tum in prima, tum in altera Calogeriana Opuſculorum Collectione locum habuerunt, deprehendere potuerimus; ac nimis pauca de hac Aldi provincia nobis inſuper proponat Ioſephus Scipio Mannuccius Florentinus in altero eius Opere de Cluſentini gloriis* (a), *ubi etiam ſe eodem Manutiorum ſemine natum contendit, quod tamen eidem Vir celebris Dominicus M. Mannius in eius Vitae Commentario de Aldo Seniore* (b) *inficias ire non dubitavit. Quare gratum nunc vobis erit,* Socii *eruditiſſimi, haec ipſa cognoſcere, quae partem Etruſcae ditionis, qua etiam plerique veſtrum continemini, attingant, ſimulque hunc primum in lucem prodeuntem excipere doctiſſimi Viri Commentationem, quae in eiuſdem ditionis ſolo, & in Academia longe celeberrima exorta, & pronunciata poſtmodum fuerit. His accedit, quod ipſa*

(a) *Giunta alla prima parte delle glorie del Cluſentino, ovvero Parte II. Firenze 1687. pag. 172.*

(b) *Vita di Aldo Pio Manuzio &c. Venezia 1759. pag. 20.*

ipſa eſt de veterum tum Romanorum, tum Graecorum, ac quinetiam Etruſcorum Religione, a quorum poſtremis nimirum & ſacra omnia, & ritus, & caeremoniae, quae Diis olim tribuebantur, in ceteros manaverint, ut Clariſſimi Viri Guarnaccius, & Paſſerius in elaboratis eorum Operibus praeſertim oſtenderunt; quae ſane omnia ita inſtituto veſtro conveniunt, ut nulla potior ſparta ſit, quam vos ornandam velitis. De Aldo vero quid amplius memorem? Noſtis enim vos ipſum Aldi Pii nepotem, & Paulli filium, qui & quanti Viri, bone Deus! Inſuper & cetera eius Opera, quae iamdiu typis commiſſa ſunt, haud recenſebo, quae unicuique veſtrum, qui praeclara polletis eruditione, facile innotuerunt. Ceterum illud non praetermittam, quod forte non quilibet noverit, me Octobre menſe elapſi anni, cum Fabriani eſſem una cum Cl. Praeſule Stephano Borgia, altero Socio veſtro longe praeſtantiſſimo, in publico eius Civitatis Archivio (a) *deprehendiſſe epiſtolam encyclicam, & typis impreſſam, qua Fabrianenſibus anno* CIↃIↃLXXX. *inſcripta Aldus noſter petit ab eis (ut etiam a ceteris Civitatum Decurionibus petierat) loci deſcriptionem, quam ad totius deſcriptionem Italiae, quae ab ipſo parabatur, conferre poſſet. Tandem anecdotum alium ipſius Auctoris Tractatum ex eo, quod ſupra memoravi, apographo deinceps etiam edendum curabo, qui eſt* de Statuis, deque earum antiquitate, & uſu, *quemque vos pari laetitia, ac voluptate excepturos non dubito. Habete ergo nunc interim,* Socii *eruditiſſimi, hoc qualecumque grati in vos animi mei,*

(a) *Faſcic.* KK. *num.*134.

tum & obſequii, & obſervantiae argumentum; atque Opuſculum hoc ipſum, quod ad id virtuti, ac meritis veſtris ſacrum volui, in hac ipſa Academiae Cortonenſis Bibliotheca, ac vero Muſarum Sacrario, tamquam humaniſſimo hoſpitio exceptum forulum aliquem obtineat; ut & ego rurſus, quamvis longe diſſitus, eo ipſo hoſpitio ſane benevolo, ſplendidoque frui videar, quo nimirum Cl. Praeſulem Stephanum Borgiam, ac me duobus fere ab hinc annis excepiſtis, quibus ſine utpote multo, magnoque cumulatis honore etiam nunc ſumma cum voluptate ſpectatiſſimae Mancinize Gentis domeſtica officia, & ſedulitas, privatorum Muſeorum praeclara cimelia, Academiae Aedes libris, & multiplicibus monumentis inſtructae, Templorum, & Domuum ornatus, vetuſtiſſima Urbis moenia, ac tandem Equitum, & Matronarum urbanitates, ac merita ante oculos obverſantur. Verum quid nunc ego ſingula commemorem, cum plurima & laude, & recordatione digniſſima occurrerint, quae in adverſariis noſtris redacta clariorem aliquando lucem forte etiam conſequentur? Valete quapropter, Socii eruditiſſimi, & Academiae veſtrae, atque etiam Italiae gloriam laboribus, ac ſtudiis veſtris amplificare, ut iam laudabiliter coepiſtis, alacriter pergite.

Datis Romae ipſis Idibus Martiis Caeſariana caede inſignibus anno CIↃIↃCCLXXIII.

DE

DE FALSA ANTIQUORUM RELIGIONE DEQUE LARARIO

COMMENTATIO HISTORICA

ALDI MANUTII

HABITA IN FLORENTISSIMA ACADEMIA PISANA.

NULLA umquam gens, nulla natio tam immanis fuit, atque barbara, tam inculta, & ab omni humanitatis lege aversa, quae divinum cultum prorsus negaret, quam nos alio nomine Religionem dicimus, si vera Cicero scribit. Nam etsi Epicurus, Protagoras, Lucianus, Lucretius, aliique multi vel animi pravitate, vel fallaci argumento moti, nullam fidem ulli Deo exhibendam dixere, vidimus tamen magis valuisse veritatem, debitum, officium, & communis opinionis vim, quae praecipue rationabili ratione niteretur. Cuius rei caussam hanc fuisse puto, quod cum nemo negare posset res divinas esse, quod ex earum affectibus ipso

quoque ſenſu facile percipimus, & cum Religio ſit ſcientia, & cultus rerum ſublimium, neceſſario ſequatur Religionem hanc ab omnibus gentibus cognoſci, ab omnibus obſervari, & ab omnibus rationibus, quaſi hominum debitum pro beneficiis a Deo acceptis in gratitudinis ſignum reddi. Hinc Religioſi dicti ſunt Sacerdotes divinarum rerum cultui addicti, pariterque Religioſa, & ſacra Templa, in quibus Deum adoramus, cum haec ab hominibus in Dei honorem, & reverentiam fabricata, & poſita ſint, illi vero rerum divinarum obſervationi operam dent. Hinc apud Latinos Auguſtum, Sacrum, Sanctum, & Religioſum, cum Auguſtum, niſi fallitur Nonius Marcellus, ſit ſanctificatum, deificatum, & glorificatum. Sacrum autem locum Ulpianus ait dici eum, qui ſemel conſecratus fuerit, ſacrariumque, ubi res ſacrae ponuntur, & ſumma cura, ac ſtudio cuſtodiuntur. Sanctum autem ſcribit Martianus eſſe omne id, quod nullam iniuriam licite pati poteſt ab humanis viribus, neque

neque ab ulla vi, Sanctumque, & Religiosum unumque, idemque esse vult Trebatius; quamvis propria, & germana significatio Sancti omne illud significet, quod est purum, inviolabile, sincerum, incorruptum, & non contaminatum, quare solemus dicere Sanctum Deum, Sanctos Angelos, Sanctas Leges, Sancta decreta, Sanctam sententiam, Sanctum Senatum, Sanctum populum, & alia similia. Merito scribit Cicero capitali poena affici solitos eos, qui res sacras contaminabant, vel earum ministris iniuriam faciebant. Credebant nempe prisci illi, Divinam Maiestatem hoc pacto, nescio quo modo, ab humana arrogantia, & perfidia laedi. Non igitur mirum esse debet, si Romani & belli, & pacis artibus clari, in hac quoque Religione tam publica, quam privata omnia effecerunt, ne ullis hominibus inferiores essent, ut ipse quoque Cicero gloriatur; quamvis verae pietatis lucc, & Dei cognitione destituti, ipsa eorum Religio nil aliud esset, quam pura, & manifesta

ſuperſtitio. Sed ad ſacra Templa redeuntes dicimus, quamvis totus mundus Templum ſit, Dei divinitate refertum, quod & Plato in Epinomide, & in Timaeo ſignificare videtur, ad cuius ſimilitudinem humanorum artificum materialia haec, quae quotidie videmus, fabricantur; non tamen particularia Templa vana eſſe, cum ab animorum devotione proficiſcantur, & ab hominum reverentia in Dei honorem, & gloriam poſita ſint: immo credere debemus Deum in Templi univerſalis imitatione non aliter ſibi placere, quam homo faciat, propriam imaginem pluribus locis delineatam videns, tum maiore, tum minore forma; nam cum homo non poſſet ob multa communis vitae impedimenta, & ſollicitudines, praetereaque, quod corporis vinculis teneatur, & a ſenſibus multis irretitus ſit, animum ad caeleſtium, & ſublimium rerum contemplationem adiungere, optimum certe fuit materiale Templum invenire, quod nos oculis ſaepe intuentes, quaſi parvus orbis ſui exem-

exemplo ad Dei contemplationem invitaret; Quamvis veteres Germani, ut ſcribit Cornelius Tacitus, Deo nullum Templum eſſe dicandum, neque ullam ſtatuam putaverunt, ea ratione moti, quod Deus cum ſit infinitus, non poteſt Templo includi, & cum ſit inviſibilis, nulla ſtatua poteſt repraeſentari. Nunc addo ad ſuperiora, ſicut omnes nationes non convenere in eadem lingua, habitu, & moribus, ita quoque gentes non convenere in eodem modo, & ratione adorandi Deum. Conſentiunt tamen omnes eum ſine dubio laudari, exaltari, adorari, & glorificari ſupra omnia a nobis debere; homoque natura inclinare, & propendere videtur ad vitam Religioſam, quod & Cicero ſcripſit Pythagorae opinionem ſecutus. Natura enim ſcintillas quaſdam ardentis ignis a principio in animis noſtris ſpargit, quae animum excitant ad cultum, & ad ſcientiam ſanctarum rerum. Platoque dixit oculos homini eſſe datos, magis ut divina, & caeleſtia, quam ut terrena contemplaretur. Finga-

mus nobis hominem mediocri iudicio praeditum, aliquo temporis ſpatio altum, nullo Religionis cuiuſquam praecepto imbutum, quid putamus hunc, cum ad iudicii aetatem pervenerit, dicturum, videntem Solem pellucidum ſurgere, moveri, celari, generare, & corrumpere omnia ſuo motu, atque cum eo Lunam ordine moveri, occultarique, & ſuis temporibus, modo ad accretionem, modo ad diminutionem accurrere? inde ſtellas tam claras, & lucentes noctu per caeli ſerena videri, noctium, dierumque rationes, ventos, pluvias, tonitrua, fulgura, nubila, ſagittas, arcus caeleſtes; vere agros herbis, floribus, plantis, arboribus veſtiri, aeſtate tantam fructuum copiam matureſcere, autumno colligi, hyeme terram omnibus ſuis honoribus ſpoliari; tot flumina, lacus, fontes, rivos, metallorum venas, mineras, aliaque ſimilia, quae videmus minime mirantes in ipſa terra varios effectus producere? Quod ſi hic homo tantas, tamque differentes rerum naturas videret, eaſque tamen

men hoc modo aeternum, & invariabilem ordinem ſine confuſione, vel motu aliquo conſervare, quae cogitatio, quaeſo, qui ſtupor, quae admiratio eius eſſet? Mihi perſuaderi non poteſt, tam ferum, atque inhumanum eum fore, tam a naturali ratione alienum, ut haec videns tanta harmonia regi, tanto ordine regulari, tantaque providentia durare, non poſſe non & corde, & lingua fateri, mentem quamdam, cauſſam altiſſimam, & potentiſſimam eſſe eam, a qua haec & ordinem, & ſtatum acciperent. Nec ullus dubitandi locus relinquetur hac in re, ſi novi Orbis populos, patrum noſtrorum memoria repertos conſiderabimus, qui etiamſi maiori ex parte ferarum potius ſimiles ſint, quam hominum, habent tamen loca ſacrificiis addicta, in quibus ſtatuas venerantur, & imagines, quas ſumma cura reverentur, & maxima diligentia cuſtodiunt. Et quamvis ſuperſtitionis coeno involuti ſint, nec aliam inſtitutionem acceperint, quam eam, quae a natura rudi, & imperfecta nobis tribuitur,

buitur , videmus tamen fidem veram , & Chriſti Religionem , ut quae eorum animos compererit , quaſi agrum longo tempore incultum , fructum incredibilem , & admirandum ob optimarum inſtitutionum ſemina referre . Sed ad antiquorum naturam redeuntes, eamque memoria repetentes dicimus , eo factum eſſe , ut dicerent alii ab hominibus nulla in re maiorem adhiberi curam debere , quam in divinarum legum obſervatione ; quod homines curioſi inveſtigatores naturae rerum omnium variis temporibus elaboraverunt , ut ad Dei cognitionem pervenirent, quemadmodum diximus . Hinc ortum , ut aliqui dicerent homines bonos , & religioſos poſt mortem fieri ſpiritus , & bonos Deos , contraque improbos , & nefarios ſpiritus reos , immo feras , & terriculoſa phantaſmata . De Deoque loquentes ad ipſum omnia referebant , venerantes ſaepe Solem , Lunam , Bovem , Pecudem , & alia ſimilia , quae cum bona eſſe cognoſcerent , pro Deo habebant . Sed invalente poſtmodum

dum ſuperſtitione, Aegyptii quidam adorarunt Cynocephalos, Acinos, & Caepas. Lybies Hammoni, piſci marino, tamquam Deo ſacrificarunt. Alii Crocodilum dignum humana veneratione cenſuerunt. Nec defecere, qui caput, humerum, manus, pedes, viriliaque adorarent. Quod mirari multum non ſoleo, cum cogito omnia, quae a pravo, corruptoque principio originem traxere, ſemper in peius ruere, & ex errore in errorem duci, prout licentia noſtra iis rebus, quae pravam originem habuerunt, progreſſus non bonos donat. Ex hiſce adorationibus, Dei, divinarumque legum cognitio Theologia a Graecis ſcriptoribus dicta eſt, quam poſtea ex Latinis Nonius Marcellus Religionem nominavit, Religioſaque omnia, ac pia, ſancta, & reverentia dicta vocavit Cicero, & Gellius, cum ad Theologiam dirigantur, ideſt ad ſcientiam, & cultum divinum, quomodo & Plutarchus in Paulli Aemilii vita appellat. Verum quoniam in omnibus rebus humanis, curioſitas maximam

mam habere vim videtur, hominesque facie inter se differentes molestè ferunt, unam, eamdemque in eorum animis durare sententiam, hinc visum est variis populis varios esse, & diversos religionis modos. Et cum nascantur ex gentium varietate opiniones variae, ex his discordia, & ex discordia contentiones, & bella; hinc contigit homines non solum habuisse in divino cultu leges differentes, sed etiam ob propriarum legum conservationem saepe ventum esse ad arma, ut aliena destruerent, atque prosternerent. Aegyptii hac ratione Phoenicum Deos vituperarunt, Phoenicesque Aegyptiorum religionem neglexerunt. Schytae Persarum divinas leges nolebant, nec Persae Schytarum religioni credere voluerunt. Syrii Persis adversi hac maxime caussa fuerunt; hi illis pariter inimici. Thebani Thracum Deos noluerunt, nec Thraces Thebanorum Deitatem (ut ita loquar) adorarunt. Indi in Deorum adoratione Arabibus molesti fuerunt, sicut Arabes semper Aethiopibus

pibus repugnarunt . Ex hac varietate Gentilium religio , immo ſuperſtitio , ita crevit , ac ſi Provincia aliqua , vel finis imperii gentium eſſet . Variata nomina , figura , ritus , adorationes , & divinae leges ex habituum , veſtimentorum , & particularium humanorum morum varietate ; cuius rei partem ſuperbia noſtra ſibi vindicat , partem diſcordia , ſed ſuper omnia ignorantia , quae a vera luce cum abeſt , haec , & maiora monſtra in hominum mentibus efferre eſt ſolita . Verum Hebraei , amica Deo gens , animum altius ad veram Theologiam , ſacroſancta eorum lege , erigens , Creatorem , non creaturas adoraverunt , omnem laudem referentes ad eum , qui Caelo rotunditatem , Soli lumen , Lunae varietatem , ſtellis claritatem , elementis alterationem , animantibus vitam , plantis germen , fluminibus curſum , ventis ſpiritum , veri flores , aeſtati calorem , autumno fructus , hiemi nives dedit . Hinc ſcribit Cornelius Tacitus , Hebraeos impium eum exiſtimare , qui aliqua imagine , aut ſtatua

Deum

Deum exprimere vult. Quare opinantes illi hominem intelligere, dum cognoſcit, cognoſcere, dum imaginatur, & imaginari ſenſibilia ſentientem, & cum Deus omnino ſeparatus ſit a ſenſibus noſtris, neceſſario animo comprehenderunt, eum tranſgredi omnem imaginationem, cognitionem, & intelligentiam humanam, concluſeruntque, Deum eſſe principium ſine principio, finem ſine fine, terminum ſine meta; & tamen dixerunt, Deum eſſe unum increatum, indeficientem, ſtabilem, ſempiternum, immutabilem, inalterabilem, infigurabilem, ſimplicem, incorporeum, inviſibilem, inintelligibilem, indefinibilem, boni cauſſam, & ob ſeipſum ad ſuipſius beatitudinem ordinatum. Cui dederunt etiam infinitam potentiam, & ſapientiam cum voluntate omnium bonorum, & Mundi creationem cum ineffabili, & immenſa providentia. Ita Hebraei conſtantiſſimi perſeverantes in ipſorum adoratione, & fide ſemper crediderunt, non poſſe nos Deum aliquo modo imitari, aut fingere, ſed inviſibili-

ſibiliter eum adorant, opinantes eos, qui vel figura, vel alia quapiam ratione eum nobis repraeſentare ſtudent, nil aliud facere, quam propriae conſentire ignorantiae, indeque rident Aſſyrios Solem, & Lunam adorantes, teſte Macrobio. Hi, ut diximus, ad Solem, & Lunam adorandos, ſplendore, & miro lumine, quod ab ipſis producitur, moventur; & quamvis alios Deos adorarent, opinati tamen ſunt, Solem, & Lunam tantum ſculpi non debere, & aliis ſtatuas, & imagines concedebant; Hanc afferentes rationem ex eiuſdem Macrobii auctoritate, alios Deos, qui a nobis non videntur, ſtatuis, & figuris referri debere, ſed Solem, & Lunam eſſe per ſe ipſos viſibiles, & manifeſtos, quod Virgilius ſignificavit cum Georg. 1. dixit de his loquens:

..... *Vos, o clariſſima mundi*
Lumina, labente caelo quae ducitis annum.

Sed ad Hebraeos redeuntes, reperimus, quod ad Dei adorationem ſine imagine, &

ſtatua

ſtatua pertinet, conſenſiſſe ipſis Lycurgum ex Plutarchi teſtimonio. Et quamvis Schytae, Perſae, & Lybies in aliis ipſorum Religionibus non tantum inter ſe eſſent differentes, ſed etiam adverſi, in Dei tamen inviſibilitate concordes fuere. Similiter Romani, aliquo temporis ſpatio, praecipueque Numa Pompilio regnante, Moſis, Pythagorae, Socratis, & Lycurgi opinioni adhaerentes Deos ſine ſtatuis ultra CLXX. annos adorarunt. Verum ad alios tranſeamus. Multi ex antiquis divinae ſententiae ſummam omnem in quatuor ordines diviſerunt. In primo Deum poſuerunt. In ſecundo alios Deos a Platone in Epinomide, & in Timaeo aethereos Deos dictos. In tertio Daemones. In quarto Heroes. Sed Aegyptii primos Deos opinati ſunt Solem, & Lunam, hanc Iſidem, illum Oſirim vocantes, quibus ſacrificabant terrae fructus abſque animalium occiſione. Extra civitates Saturno, & Serapidi ſacrificabant victimarum ſanguine, addiderunt quoque ſacrificia thuris, myrrhae,

& cro-

& croci, indeque paullatim fabricare coeperunt pulcherrima, & ſuperbiſſima templa. Crevit apud eos Deorum numerus, nam quinque Aegyptii adorarunt Oſirim, Iſidem, Tiphonem, Apollinem, & Venerem. Ab his quoque orta eſt imaginum, & ſimulacrorum origo ex Semeles Cadmi filiae aureo partu. Haecque ſimulacra modo lignea fiebant, modo petrea, & modo ex creta, modo ex metallo formabantur, ut dicemus. Hinc adoratio orta eſt pecudis, canis, felis, ciconiae, aquilae, hirci, & bovis, non alia certe cauſſa, quam ob ipſorum utilitatem, & dignitatem; nam ex his alia nos ſua lana veſtiunt, alia a furibus arcent, alia a muribus domum mundant, alia ſerpentes deglutiunt, alia Solem mirari audent, alia libidini prona ſunt, & alia terram arant. Succeſſere Phoenices, qui litterarum uſum invenere, quae antea in hominum mentibus ſepultae fuerant. Hi ad ſerpentem divinitatem omnem referebant, & eadem ratione ipſum adorarunt, Deum Ophionem vocan-

tes, cui & vota, & ſacrificia diu obtulerunt, cuius rei forſan in cauſſa fuerunt pulchrae, excellenteſque huius animalis proprietates, praecipueque eius uniformis, & continua figura, velox motus, iſque in gyrum, citiſſima linguae vibratio, longiſſima vita, dum ſenex, expubeſcere, alioſque ſui veneni potentia occidere. Quae omnia ſunt veluti teſtimonia ſuae divinae, & admirandae virtutis; praeterea ad punctum caudae os apponens, perfectam circularem figuram format, quae mirum in modum ipſi divinitati, & Dei aeternitati aſſimilari videtur. Hi alios Deos adiunxerunt, quos omnes pennis velociſſimis alatos figurarunt, hac re in omnibus eos ſublimes, & veloces ſignificantes. Hocque praecipue imaginati ſunt Saturno convenire, cui quatuor maximas alas dedere, apertas duas, duas clauſas, &, ut oſtenderent hunc in omnibus ſuis operationibus & velociter, & quiete procedere, quatuor etiam oculos dedere, duos in fronte, duos in occipitio, qui alterne vigilabant, & dor-

& dormiebant, quod erat inditium, ipſum æterne vigilantem dormire, dormientemque vigilare. Hunc dixere filium eſſe Dagonae, & Atlantis, Caeloque patre, & Terra matre genitum. Sed antequam orbis ita ordinatus, itaque diſtinctus viſeretur, uti nunc eſt, naturae manibus chaos fuiſſe dicebant, in quo omnia involuta, & ſepulta miſerabiliter confuſa iacebant. Sed poſtea Cupidinis opera, omnium naſcentium rerum principia, & ſemina generata ſunt, quae cum ab humore traherentur, naturae putridarum miſto, generationis cauſſa fuerunt primum iis rebus, quae inanimata ſunt, deinde plantis, herbiſque, poſtea animalibus ratione expertibus, demumque rebus intellectualibus in mundo poſitis, quaſi in amplo, & ſpatioſo theatro, in quo veluti ſpectatores contemplarentur ordinem mundi, lumen Solis, & Lunae claritudinem, & vivacitatem ſtellarum, & curſum velociſſimum Caeli. Non videtur tacenda mira reverentia, qua populi Alcaiti Lunam proſequebantur; nam tanti

eam faciebant, ut in eum indignati, qui feminino nomine eam deinceps appellasset, in omni sua vita uxoris servus, & mancipium esset: contraque dominus, & caput eius, qui non Lunam, sed Lunum nominasset. Galli Narbonenses Massilii dicti, ipsorum Deos in silvis adorabant, idest pro Diis habebant arborum truncos, teste Lucano, a quo more non multum abfuere Schytae, Persae, & Lybies, qui nec imagines, nec statuas, nec simulacra Deorum habuere, sicut diximus. Ex quibus Persae, ut affirmat Pedianus, hanc rationem assignabant dicentes, vix Soli totum mundum sufficere, quem solum Deum adorabant, & esse credebant, nedum alios quaerere opus esset. Verum quid non potest in nobis superstitionis vis? quam persuasionem non in vulgi animis inducit opinio? quem errorem, dico, non committit homo, oppressus ignoratione, & tenebris falsae Religionis. Nam non solum veteres has inter se differentias habuerunt, quae ob earum discordiam, tot homi-

hominum vitis perniciem attulerunt, verum etiam ipſa concordia in ſacrificandi modo, multis eorum temporum infelicibus damno fuit, & plena ſanguinis. Nam barbararum Religionum maior pars aliquando convenit in humanis corporibus ſacrificandis, a ſacrificiis ad maleficia tranſiens, a pietate ad immanitatem, a victimarum ſanguine ad hominum mortem. Rem non ſolum facto feram, ſed etiam cogitatione monſtroſam, & horribilem. Legimus quippe diſerte, Theſſalos ſingulis annis Peleo, & Chironi hominem ſacrificaſſe. Schytae Dianae exteros ſacrificabant. Phoenices in aliquo magno principis periculo, aut calamitate gratiorem ipſi filium, melioremque immolabant. Arabes ſingulis annis puerum, Syrii virginem Palladi occidebant. Curetes nonnullos liberos Saturno, Phoenices iterum in ſuis miſeriis cariores amicos ſacrificabant. Marti hominem Lacedaemones, Dionyſio alium Chii, alium Diomedi Salamini, aliumque Saturno Rhodii. Phrygii magnae Deo-

rum Matri ſacrificantes ſeipſos miſere truçidarunt. Sed quid? hi Dei non in ſolos populos barbaros ſaeviere, & eorum ſanguine ſe turpavere. Ipſi enim Graeci, & Latini eamdem ſunt feritatem experti, ac ſi Dei humanae ſpeciei irati vellent in noſtrarum culparum ultionem, ut homines non a feris differentes indifferenter quoque inter ſe ſe occiderent, & homo homini fera facta humano ſanguine Deorum altaria pollueret, pietatem erga Deum in ſe ſaevire faciens. Hoc eo dico, ut appareat Graecos, antequam ad bellum aliquod proficiſcerentur, animam ſacrificare ſolitos, ut de Iphigenia legimus. Athenienſes ob Androgei mortem miſerabili fame coacti oraculum conſuluerunt, a quo reſponſum habuere, mittere eos debere ſingulis annis XIV. animas in Cretam ad ſacrificium, ſeptem maſculos, totidemque feminas. Itali ipſi hominum decumam Apollini, & Iunoni ſacrificabant, quod aperte teſtatur Dionyſius Halicarnaſſaeus in Antiquitatum libris. Ab hiſce feris, & barbaris occiſio-

cisionibus abstinuere Romani, qui humani essent, & ingenui, penitusque ei religioni addicti, quae si non vera esset, magis tamen cum ratione congrueret, & cum quadam honestate, quam barbarae aliae. Non tamen scio, quo pravo spiritu ducti, quadam occasione, quod ait Livius, inusitato modo sacrificarint ex librorum Sibyllinorum praecepto, cum hominem, & feminam Galli vivos sepeliverint, pariterque hominem, & feminam Graeci. Sed ego prava haec sacrificia merito Lactantio, & Tertulliano deploranda relinquam, & velam ab hoc scopulo contrahens ad Graecorum religionem accedam, qui Orbis sal, & sapientia ab hominibus fuere existimati. Hi credidere, praeter multas, quas habuere, opiniones Cadmum ab Agenore procreatum, qui cum adoleverit, Europam a Iove furto subtractam quaesivit, quod cum ei minime ex sententia successisset, Thebem in Boeotia muro cinxit, & Veneris filia uxore ducta ex ea Semelen, & Sorores cepit. Ex Semele,

& patre Iove ortus Dionyſius, ſive Bacchus vitium culturae repertor, cui etiam dedere vinorum faciendorum rationem, & cereviſiam. Hic tam Diis carus fuiſſe perhibetur, ut quacumque iter faceret, a Muſis, & a mulieribus, & ab hominibus comitaretur, ut ſapientiſſimus, & victorioſiſſimus prae cereris ſit habitus, cuius tamen victoriae, ſaluti, & beneficio erant probis, improbiſque cruciatui, ſupplicioque. Eius magiſter Silenus fuit, a quo magna, utiliaque praecepta didicit, poſtea Lenaeus, & Bromius dictus praeter Bacchi, & Dionyſii nomina, quibus diximus eum vocari. Satyrorum ſaltantium ſocietatem habuit, qui circa eum iocantes, & ſaltantes miros iocos faciebant, ut eum oblectarent. Dixere praeterea ipſi Graeci, Herculem ex Iove, & Alcmena natum, quam cum Iuno maximo odio proſequeretur, Iovis & ſoror, & coniux, duos ſerpentes miſit, ut Herculem occiderent, quos cum ipſe manibus prehendiſſet, ita eos preſſit, ut eorum morte ſibimet ſalutem

quaeſi-

quaeſiverit. Dixere item, Apollinem luminis donatorem, & diei auctorem mortalibus, Admeti pecudes paſcere coactum fuiſſe. Cuius rei eam referunt fuiſſe rationem, quod, cum Apollo genuiſſet Aeſculapium ex Coronide Amaſia, & cum eum omnes herbarum virtutes docuiſſet, & omnium morborum, quibus corpora vexantur, cognitionem, Aeſculapius ita doctus, itaque excellens evaſit in medendi arte, ut deſperata corpora, proque mortuis habita ad vitam reſtituere ſciret. Quod cum Iuppiter intelligeret, indignatus, caeleſtique motus invidia eum morte affecit. Inde Apollo mirum in modum iratus, Cyclopibus illis, qui ipſi fulgura, & ſagittas cudebant in ultionem, mortem dedit. Verum Iuppiter omnipotens eum coegit e Caelo in terram deſcendere, & ex libero Deo ſervum reddidit, & paſtorem. Iidem dixere, Caelum fuiſſe ipſorum primum, & praecipuum regem, cui fuerit coniux Ops caſtiſſima mulier, id eſt Terra, ob fecunditatem Dea facta, cum ea patrem

cum

eum fecerit XIIX. filiorum, praeter XXVII. alios, quos ex aliis feminis habuit. Mortuo Caelo, Hyperion frater in uxorem duxit Basiliam Pandorae sororem, vel Cybelem Atlantis filiam, ex qua filios duos suscepit Solem, & Lunam. Non multo temporis spatio interiecto, Cybeles Hyperionem interemit, eque Caelo Solem in Eridanum fluviorum regem iecit, quo facto desperata Luna ab altissimo loco seipsam praecipitavit. Id mater sentiens ingenio est destituta, & undique maxima cum furia percurrens, modo huc, modo illuc vagabatur cassis inordinatis, & sparsis tympana sonans. Tandem viam errans, & ab humanis oculis se subtrahens consecrata fuit, & Dea magna, Deaque potens dicta. In eius honorem altaria, & templa erecta, eiusque sacrificia semper tympanis, cymbalisque sociata. Alii tamen dixere, Cybelem filiam fuisse Maconis Phrygiae regis, ipsumque reperisse pastoritiam cannam Syringa dictam, eiusque pulchritudinem possedisse Atym formosis-

mosissimum adolescentem. Verum Aty a Cybeles patre clam occiso, ipsam dolore insaniisse, & furiosam huc, & illuc profectam, tympana sonantem, quamvis postea dolore levata pietatem retinuerit. Nam cum amatrix facta esset Phoebi, pietatis officium mortuo adolescenti persolvit eum humans. Volunt praeterea, Atlantem stellarum maxima cognitione praestantem septem filios habuisse, quasi septem radices, ex quibus multi Dii, & Heroes prodierunt. Ex Maia enim primogenita Mercurius ortus, cuius pater Iuppiter fuit. Ex Atlante natus Saturnus, qui Cybelem uxorem duxit sororem suam, ex qua Iuppiter natus. Fuit & alius Iuppiter Cretae Rex, frater Caeli, ex quo decem filii nati Curetes dicti. Saturnus regnavit in Italia, & in Sicilia, & quantum ipse moestus, deformis, & natura avarus, tantum fuit Iuppiter filius laetus, formosus, & liberalis. Dixere interdum, Saturnum ex Rhea genuisse Iovem, & Iunonem, ipsiusque Iovis uxores fuisse Iunonem, Cererem, & Daphnem,

exque

exque Iunone genuiſſe Curetes, ex Cerere Perſephonem, ex Daphne Minervam Deam Sapientiae. Haec ſunt, quae a variis Scriptoribus & veteribus, & recentioribus ſeligere potuimus ad Gentilium Religionem ſpectantia ante Romanam, ex quibus Romani omnium artium excellentiſſimi imitatores multa ſumpſere, multa alia omittentes, quae ipſis ipſorum imitatione indigna viſa ſunt, quod in ſequentibus videbimus. Hoc modo ex alia in aliam gentem, & ex alio in alium populum religio migravit, ut diximus, donec ad Romanos noſtros pervenit, qui cum magnam terrae partem viciſſent, tot regiones ſubegiſſent, totque victorias Romam deportaſſent, totque gentes, atque nationes non minus habitu, & moribus, quam religione differentes, ſervas, atque tributarias effeciſſent, ipſis neceſſarium quoque iudicarunt, omnes terrae populos in cultu divino, & in ſacrarum rerum religioſa inſtitutione ſuperare. Inde mirandum videtur, Romam, quo primum tempore

pore radices primas egit, eodemmet ſuae religionis fructum aliquem colligere coepiſſe. Romulus enim caput, & fundator eius civitatis maxime elaboravit in divino cultu. Quod ut melius faceret, conſuetudinem, & morem Albanorum, quantum potuit, eſt imitatus, omnibus Deis iuxta eorum uſum, & caeremonias ſacra faciens. Liviuſque ipſe ſcribit, Romulum in Palatino ludos inſtituiſſe, qui a Latinis Lupercalia dicti ſunt. Verum Numa Pompilius homo natura quietus, & pacis ſtudioſus, ignorans, quomodo poſſet Romanae iuventutis impetum, & vires cohibere, in bellicis artibus natae, & educatae, ſeque tranquillae vitae amatorem, & ſtudioſum ſciens, tandem cooptavit Deorum timore, religioniſque reverentia Romanorum animos mollire, eorum ferocitati divinis legibus praebens gratam, & iucundam quamdam temperationem. Quare cum Nympha Aegeria ſecretas collocutiones ſimulans, ut ſcribunt Livius, & Plutarchus, ſolitudinem amabat, praecipueque ſilvas,

& pra-

& prata, in quibus dicebat ſe ab ea in omnibus moveri, quae ad ſalutem, & Romanorum beneficium ſpectarent. Primum ipſe Romanos inſtituit, ut Deos honorarent, & venerarentur precibus, votis, ſacrificiis, & cantibus ad eorum laudem. Addidit multarum ſacrarum rerum rationem, quarum Romani antea nullam, aut exiguam cognitionem habuerant. Hortabatur, ut in omnibus praecipuum eſſet in Deorum auxilio, atque conſilio perfugium. Magnificabat Muſas, unamque praecipue, quam Taciam dicebat. Pythagorae vitam, praeceptaque totis viribus obſervavit in omni occaſione, auſpicia, & auguria ſumebat, ad Muſas ſua omnia vaticinia, & divinationes referebat. Vetuit Romanos credere Deum neque formam, neque figuram habere, omnem uſum ſtatuarum divinarum removit, quacumque ex materia eſſent. In ſacrificiorum ordine ad Pythagorae integritatem, & religionem mirum in modum ſe adiecit, ſine ſanguine, & rebus vilibus ſacra

cra faciens. Pontificum ordinem conſtituit, quorum ipſe fuit primus, docuit eos a Deis offenſis, & iratis veniam petere. Virginum Veſtalium ordinem, aut collegium inſtituit, ipſis perpetuam aeterni ignis cuſtodiendi curam dans, fueruntque quatuor ab eo conſecratae, ut ſcribit Plutarchus, dictae Gegania, Berania, Camillia, & Tarpeia. Legem ipſis eſſe voluit, ut triginta annis caſtitatem conſervarent, in quorum decem primis rerum ſacrarum curam volebat eas addiſcere, in aliis decem, quod didicerant, exercere, in decem poſtremis alias docere. Nullum honorem omiſit, qui hiſce Virginibus fieri poſſet, contraque nullum maius erat ſupplicium eo, quod Virgini Veſtali inferebatur, ſi pudicitiae terminos violaſſet, quae cum ſatis pateant ex Livio, Plutarcho, & aliis libris, omitto. Idem Numa templo rotundam figuram dediſſe videtur: tale enim fuit Veſtae templum ab eo fabricatum, vel quia ſic Mundum referret Dei locum, vel quia, ut ſcribit Plutarchus, Veſta terram ſigni-

ſignificet, quae rotunda eſt. Imperavit, Deos Inferos, in hiſque Libitinam, quam alii Proſerpinam, alii Venerem eſſe crediderunt, honorari, quae Dea in exſequiis, & mortuorum ſacrificiis maximam auctoritatem tenebat. De mortuorum luctu legem tulit, videlicet de eius, qui lugebatur, aetate, & de moerore, & de habitibus lugubribus retinendis. Multos ſacerdotes inſtituit, in his autem praecipue Salios, & Feciales, quorum officium ſilentio praetereo, cum ex Plutarcho, & Livio peti poſſit. Undecim ſcuta, ancilia dicta facienda curavit, ei ſimilia, quod Aeneae eſſe Romani credidere a caelo delapſum peſtilentiae tempore, quae hoc Rege Romam vexavit; quae ſcuta cur ita dicerentur, ſubtiliter, & prolixe admodum differit Plutarchus. Voluit tubicines diebus feſtis tubarum ſonitu quietem, & feriationem nuntiare Romae mechanicis artibus, omneſque ab opere ceſſantes cultui divino ſe tradere tranquilliori mente. Agrum Romanum, qui tamen non grandis erat, paupe-

pauperibus distribuit, tum ut quietos eos redderet, tum ut in agricultura, ut ait Plutarchus, se exercerent. Annum ordine, & ratione pulcherrima distinxit ex Solis, & Lunae motu, indeque annus solaris, & annus lunaris dictus est. Primus ex diebus CCCLXV., alter vero ex CCCLIV. Mutavit mensium ordines, & duos addidit, Ianuarium dico, & Februarium, cum antea annus fuisset decem mensium, &, ut scribit Plutarchus, fuit aliquando sex mensium, aliquando quatuor, aliquando trium, & aliquando apud nationes Graecas, & barbaras unius tantum. Scripsit duodecim libros de iure pontificio, totidemque de sapientia, qui cum suo corpore sepulti fuerunt ex eius, dum viveret, expresso iussu. Sed super omnia delectabatur hic vir Pythagoreorum more occultis praeceptis Romanos instruere, quaeque significationem allegoricam haberent, quaeque ob eorum obscuritatem maiorem existimationem haberent. Ex eis aliqua dicam, quae Plutarchus recenset, cum sint ad hanc mate-

 riam,

riam, de qua loquimur, valde accommodata. Dicebat ipſe neminem Choenici inſidere debere, quo ſignificabatur futura nobis eſſe curae debere, cum Choenix nihil aliud ſit, quam unius diei cibus. Dicebat inſuper a nemine ignem cultro excitari debere, ideſt magnos, & potentes viros irritari non debere ad odia, vel indignationem. Addebat, cum quis iter agit, non debere retrogradi, hac dicendi forma illud ſignificans, cum noſtrae mortis hora advenerit, vitam non nos curare debere, cum ex Dei voluntate ſit eam finiri. Praeter haec dixit quaedam praecepta ad ſacrificiorum materiam pertinentia, quae omnia obſervabantur, quod omnes crederent eſſe ea a Muſarum concilio, & a Nympha Aegeria. Ex iis fuit illud: Deis Superis ſacrificari debere omnia numero pari, Inferis impari: ne ſacrum fieret vino ex vite non putata, nec ſine farina. Hae fuerunt artes, quarum auxilio Numa ſibi ipſi felicitatem dedit, Romam XLIII. annis perpetua pace regens, ſuiſque civibus ferocita-

rocitatem modeſtia temperavit docens eos, qui homines non timebant, revereri, & timere Deos caeleſtes. Cum igitur Romani habuiſſent tam ſapientem, atque prudentem eorum religionis praeceptorem, in dies novos ordines, & conſtitutiones tum ex ſe ipſis, tum ex populis exteris ſumere coeperunt, & caeremoniarum, atque ſacrificiorum numerum augentes religionem eam formarunt, quae ad Romani Imperii inclinationem duravit. In ea civitate ritus militaris cum divino cultu de loco certabat. In ea hominum induſtria ambitione comite novos auxit ritus, & caeremonias, novaſque obſervationes, & leges, itaut cum domeſtica exempla non ſufficerent, ad Etruriae populorum conſilia accurrerent, qui praeter ceteros religioſiſſimi habebantur. Quare haec Reipublicae cultum, & pietatem in Deos aequalem Imperii magnitudini, & maieſtati reddidit, cum non ſolum fuerint exquiſiti obſervatores divinarum legum Romani homines, ſed ſevere etiam puniverint eos,

qui in religionem vel minimam iniuriae partem, aut negligentiae commisissent. Quod sane patet ex Valerii Max. lib. 1. Exemplorum. Quantumque castigarentur ii, qui solum iniuriosis verbis sacerdotum innocentiam offendissent, Tit. Livius aperte ostendit, cum de Cn. Cornelio Praetore agit, in quem vindicatum fuit ob iniuriosa verba in M. Aemilium Lepidum Pont. Max. dicta. Verum ad Deos tum a Graecis, & barbaris sumptos, tum ab ipsis Romanis additos orationem meam convertens, primum dico Deos Penates, vel patrios ab Aenea in Italiam advectos, primo a Samothracia in Phrygiam delatos fuisse, cosque ex quorumdam sententia Apollinem, & Neptunum. Alii tamen Deos Penates cum Geniis, & Laribus confundentes quatuor fecere. Numa, ut diximus, alium ordinem secutus voluit Deum non sculpi, aut pingi aliqua humana figura, nec alicuius rei imagine, quae sensui subiaceret, credens Deum esse puram, & simplicem mentem, quae facilius purissimo intelle-

tellectus noſtri oculo videri poſſet, quam a profana corporis luce. Hinc factum eſt, ut ipſe ſacra templa nuda imaginibus, & ſtatuis eſſe voluerit, quam legem tenuit Romana urbs, ut dixi, annis CLXX. Sed cur Deorum ſtatuae ad ſimilitudinem, & figuram humanam factae eſſent, Porphyrius, referente Euſebio, hanc reddit rationem, quod cum Deus ſit mens, & intellectus, ſoli homines apti ſunt ob ipſum rationis lumen, quod ipſis ineſt, ut ad caeleſtem ſimilitudinem accedant, itaque veteres fecere Deos ſimiles hominibus. Hanc Roma inter Deos differentiam conſtituit, ut alii nobiles, alii populares, & plebei dicerentur. Nobiles Dei dicebantur Ianus, Saturnus, Iuppiter, Apollo, Genius, Mercurius, Mars, Neptunus, Vulcanus, Sol, Orcus, & Liber. Nobiles Deae fuere Terra, Ceres, Iuno, Diana, Luna, Veſta, Minerva. In quorum ſacrificiis interdum uni tantum ſacra faciebant, interdum una cum illis, quos ipſorum amicos, & fidos exiſtimabant. Inde ad aliam

diviſionem venere , cum alii Dei boni , alii mali , & improbi fuerint vocati . Quare bonis ludis , & riſu , & cantibus , & iocis ſacra fiebant , contra vero luctu , planctu , interdumque ipſo humano ſanguine malis ſacra fiebant . Verum quia Deorum Romanorum copia maxima fuit , quod facile eſt videre ex eo, quod ſcripſere Varo Romanus, Cicero in libris de natura Deorum , Euſebius Caeſarienſis , Lactantius Firmianus , Tertullianus , Plinius , Macrobius , & Iohannes Boccacius homo novus , qui tamen multa legerit , & parem in omni vel minima veterum memoria patientiam adhibuerit ; ideo rem non prorſus inutilem facturum me exiſtimo , ſi omnes longas ipſorum Deorum narrationes reſecando eorum generationem breviter enarrabo , quaſi compendioſe ordinem a nuper citatis Scriptoribus obſervatum retinens .

Prima generatio a Demogorgone initium ſumit , qui divinitatem , & terrae ſapientiam ſignificat , eius ſocios dixere aeternita-

nitatem, & chaos. Novem ſibi fuere filii, nempe Diſcordia, Pan, Clotus, Lacheſis, Atropos, Polus, Phiton, Terra, & Herebus. Terra quinque genuit filios, Noctem ſcilicet, Famam, Tartarum, Taigetem, Antheum. Ex Herebo orti ſunt Amor, Gratia, Labor, Invidia, Timor, Dolus, Fraus, Pertinacia, Paupertas, Miſeria, Fames, Lamentatio, Infirmitas, Senectus, Pallor, Tenebrae, Somnus, Mors, Charon, & Ignis. Ignis, qui Aether etiam nuncupatur, Caelum genuit, & Iovem primum patrem Minervae, Apis, Solis, Dianae, & Mercurii, ſimulque Tritopatraei, Ebulii, Dionyſii, Herculis primi, Proſerpinae, Bacchi primi, Epaphi, & Scitae. Bacchus hic primus genuit Mercurium ſecundum Cupidinis patrem. Ad Caelum autem redeundo habuit is XI. filios, natus ipſe patre Igne, & matre Luce divina. Filii igitur undecim cum fuerint, hoc tamen in loco octo tantum commemorabimus, quorum nomina ſunt Opis, Tethides magna, Ceres prima, Vulcanus primus,

Mercurius tertius, Venus magna, Iuppiter ſecundus, & Toſſius. Ex Vulcano ortus eſt Apollo, ex Mercurio Hermaphroditus, ex Venere Cupido, ex Cerere Acheron. Acheron genuit tres infernales furias Alettum, Tiſiphonem, Megaeram; praeterea Victoriam, Aſculphum, & Stygem. Ex Styge ortus eſt Cocitus, ex Cocito Phlegeton, ex Phlegetonte Lethis, ex Victoria Honor, ex Honore Maieſtas. Ad Caelum iterum redeamus. Hic ex Veſta filium ſuſcepit. Titanem, Titan genuit Hipperionem, Briaraeum, Caeum, Tiphaeum, Enceladum, Egeonem, Auroram, Iapetum, Aſtraeum, Alontem, Palenem, Roncum, Purpureum, Lycaonem. Hipperion genuit Solem, & Lunam. Solis filii fuere Horae, Gonae, Phaetuſa, Salempetia, Dircea, Miletus, Paſipho, Eta, Circe, Agnina. Caeus genuit Latonam Apollinis, & Dianae matrem, & Aſteriam matrem Herculis. Ex Iapete orti ſunt Heſperus, Atlas, Epimetheus, & Prometheus. Atlas genuit Hiam, & Hiades, quae

ſe-

ſeptem fuerunt, totidemque Pleiades, inſuper & Caliſonem Nympham. Prometheus genuit Pandoram, procreavitque Iſidem, & Deucalionem. Aſtraeus genuit Aſtraeam, & Ventos caeli, quorum Aquilo genuit Zethum, & Calaim. Palenes genuit Minervam. Supra de Caelo diximus, ipſumque inter alios Iovem genuiſſe ſecundum, qui xv. habuit filios, Dianam ſcilicet, Apollinem, Titium, Bacchum, Amphionem, Zethum, Calathum, Paſitaeam, Egialem, Euphroſinam, Lacedaemonem, Tantalum, Herculem, Minervam, Arcadem. Apollo genuit filios numero XVI., quorum nomina ſunt Laphita, Eurimon, Mopſus, Linus, Philiſin, Garamantes, Brancus, Philemon, Orphaeus, Ariſtaeus, Nonius, Auttous, Argaeus, Aeſculapius, Pſyches, Arabus. Bacchus tres habuit filios, Thionaeum, Toantem, & Hymenaeum. Quatuordecim Amphionis filios utriuſque ſexus ex Niobe uxore ſuſceptos, itidemque Ithilium, & Thium Zethi filios praetereo. Ad Oceanum modo

Cae-

Caeli, & Terrae filium deveniamus; genuit is XXIV. filios, quorum nomina ſunt, Eurinomes, Perſa, Ethra, Pleion, Climenes, Triton, Doris, Prothaeus, Corufix, Hereus, Achelous, Inacus, Penaeus, Nilus, Alpheus, Criniſius, Tiber, Aſſius, Aſopus, Cephiſus, Meander, Pillira, Sperchius, Sol. Aethra, & Pleion Atlantis uxores fuere. Climenes mater fuit Phaetontis. Dorides autem uxor Nerei. Nereius genuit Nymphas maris, quae numero ſunt XXXIV., & ſunt Glauces, Thalia, Cimodores, Niſea, Spio, Thoes, Cimothoes, Atthis, Liminoria, Melites, Iera, Amphitoe, Agave, Dothis, Protus, Pheruſa, Tinamenes, Torſa, Menes, Amphinomes, Gallianira, Doris, Panopaea, Galathea, Nimertes, Aſſede, Calianaſſa, Climenes, Tanira, Dianaſſa, Mera, Orithia, Amathia. Certum eſt praecipuas Nymphas quatuor tantum fuiſſe, nempe Cimodores, Tethis minor Achillis mater, Galathea, Arethuſa. Una cum his Naiades fluviorum Nymphae ponuntur, quae (ut creditur)

prae-

praeterlabentibus fluminibus continuum praebent motum. Duodeviginti sunt, si Virgilio credimus, quarum nomina sunt Climes, Xanthus, Logea, Philedores, Nisaea, Spio, Thalia, Cimodores, Ciclipes, Licoris, Clio, Berces, Ephira, Ops, Deiopea, Arethusa, & Acheo. Post has sequuntur Dryades silvarum praesides, quarum septem sunt praecipue, Leontadomes, Nevopones, Thero, Bitomartha, Licasta, Agaperta, Ops. Verum Hamadryades, Orcades, & Napaeae, arborum, montium, & fontium Nymphae non ita sunt nominibus distinctae, ut mihi opus sit eas recensere; quare, iis praeteritis, nostram convertemus orationem ad Acheloum. Is Sirenarum fuit pater, quas ex Calliope Musa suscepit, & sunt tres, alii quatuor dixere ex Thersite Musa natas, easque nuncuparunt Aglaosem, Telcipoam, Pisnam, & Iligem. Verum nos quintam eis addemus, nimirum Partheno-paeam, celeberrimam ob inclitam, & illustrem civitatem Neapolitanam. Inacus Io-

nem

nem genuit, cuius amore Iuppiter flagravit: Peneus pater fuit Daphnis, quam Apollo adamavit, fruſtraque eam inſecutus eſt. Nilus ob ſuam eſt celeber progeniem; fuerunt etenim eius filii Minerva, Hercules, Dionyſius, & Vulcanus. At Mercurii filius fuit Daphnis pulcherrimus iuvenis, qui primus omnium paſtorale exercitium invenit. Vulcanus Solem genuit, Sol Phaetontem, treſque eiuſdem ſorores, quae tamdiu fratris necem deplorarunt. Cephiſus pater fuit illius Narciſſi, qui ſuimet conſpectae formae nimio potiundi deſiderio occubuit. Saturnus Caeli, & Veſtae filius decem habuit filios, qui ſunt Cronides, Veſta, Ceres, Glauca, Pluto, Chiron, Picus, Iuno, Neptunus, Iuppiterque tertius. Ceres fuit Proſerpinae mater. Pluto pater Venerationis, Honoris, Coniugis. Picus praeter alios filios genuit Faunum, qui Faunus genuit Faunos, Satyros, Panes, & Silvanos ſilvarum, & agrorum Deos. Sed modo de magna Iovis ſorore, & coniuge dicendum eſt. De Iunone inquam Saturni filia.

filia . Ipſa abſque copula carnali genuit Hebem , & Martem . Hebes iuventutis Dea nuncupatur , Herculiſque uxor . Mars xv. genuit filios , quorum primus fuit Cupido Voluptatis pater , aliorum nomina ſunt Gnomaus , Thereus , Aſchalaphus , Ialmenus , Parthaon , Zeſius , Flegias , Brittona , Evannes , Hermiona , Hipperion , Etholus , Remus , & Romulus . Flegias genuit Coronidem , & Iſionem . Coronides fuit mater Aeſculapii , qui ab antiquis inter Deos adſcribitur ob divinas ſui ingenii operationes . Iſion Centauros genuit , quorum LV. tantum nomina referuntur , & ſunt Euritius , Neſſus , Aſtilus , Ophionides , Irineus , Rhetus , Orneus , Licida , Medemus , Piſerion , Taumaris , Mermerus , Pholus , Mendales , Abas , Eurinomus , Hireus , Himber , Ceneus , Alphida , Elopes , Pacraeus , Licus , Cromis , & Dittis . Eos ſequuntur Phareus , Bianor , Hedianus , Licetus , Hipaſon , Thereus , Riphaeus , Demoleon , Phlageon , Hilon , Ephinous , Damon , Dorilans , Cillarus , Hillanon

femina, Pheus, Tomus, Theboans, Picetus, Ethodus, Ephidapus, Neſſeus, Odites, Stiphelus, Bromus, Antimachus, Elimus, Piramus, Latreus, & Monilon. Hi igitur ſunt Centauri, qui in nuptiis Pirithoi a Laphitibus partim occiſi, partim dirempti fuere, de quibus cum tantum eorum nomina recenſuerimus, nimis dictum arbitror. Modo ut de Neptuno agamus, eſt conſentaneum. Is filius Opis, & Saturni xxxv. habuit filios, Dorum, Amicum, Phorcum, Albionem, Borgionem, Taram, Poliphemum, Tilemum, Brontem, Steropem, Piracmonem, Nauſithoum, Melionem, Aſterionem, Aonem, Meſappum, Buſiridem, Pegaſum, Nitheum, Hirceum, Peliam, Neleum, Cignum, Chriſaorem, Othum, Ephialtem, Egeum, Onchestum, Pelaſgum, Nauplium, Celenum, Achellum, Occipitem, Sicanum, Siculum. Atque ex iſtis Phorcus genuit Batillum, Thorſam, Schyllam, treſque Gorgones, Meduſam ſcilicet, Stenionem, Eurialem. Buthemus Ericem; Nauſithous Rixino-

xinorem, & Alcinoum. Ex Rixinore autem Arithides eſt orta Alicinoi uxor, ex qua IV. ſuſcepit filios, Nauſicaam, Laudamantem, Alioum, & Clithonium. Nitteus genuit Antiopam, & Nithimenem. Antiopa mater fuit Zethi, & Amphionis. Pelias genuit Acaſtum, & quaſdam feminas. Modo gradatim proſequendo de Iove tertio Saturni filio decimo dicendum eſt. Is undequadraginta habuit filios, Clio, Euterpem, Melpomenem, Thaliam, Polymniam, Erathum, Terpſichorem, Uraniam, Calliopem, Acheum, Venerem, Amorem, Proſerpinam, Caſtorem, Pollucem, Helenam, Clytemneſtram, duos Faliſcios fratres, Iarbam, Menam, Mirmidonem, Xantum flumen, Luciferum, Orionem, Minoem, Sarpedonem, Rhadamantum, Acriſcum, Tantalum, Dionyſium, Perſeum, Aonem, Aeacum, Pilunum, Mercurium, Vulcanum, Herculem, Eolum. Mercurius genuit Eurodorum, Mirtilium, Panem, Evandrum, & Lares. Hercules XVII. habuit filios, Oxeam,

Creon-

Creontiadem, Thiriomachum, Dycoontem, Hithoneum, Cromim, Agilem, Hilum, Sardum, Cirnum, Diodorum, Tlepolemum, Theſſalum, Aventinum, Telephum, Lidum, & Lanium. Similiter & Eolus genuit Macareum, Canacem, Alcionem, Miſenum, Criteum, Salmoneum, Iphiclum, Siſyphum, Cephalum, Athamantem. Lucifer fuit pater Cei, & Dedulionis. Orion genuit Hippologum. Ex Minoe v. ſunt orti filii, Androgaeus, Glaucus, Ariadna, Phaedra, Deucalion. Sarpedon fuit pater Antiphatis, Acrinus Laertis, Tantalus Niobis, & Pelope. Dionyſius Gorgophonis, Stelenni, Erithrei, & Bacchemonis. Aon genuit Dimantem, Eacus Phocum, Thelamonem, & Peleum, Pilunnus Daunum, Vulcanus Eritonium, Cacum, Ceculum, & Tullium Servilium.

Huc uſque Deorum progenies, & foboles compendiario, & ad capita recenſuimus, recentiorum auctorum, qui hac de re exactiſſime, & perpolite ſcripſerunt, ſtilo, & or-

& ordini ſemper adhaerendo. Verum quoniam multos alios eorumdem Romanorum Deos, & partim etiam iam commemoratorum, prout variis muneribus, operibus, & effectibus eorum ſuperſtitio dicarat, nobis reſtat, ut in compendium redigamus, idcirco iſtos a iam memoratis non ſegregando, rectiſſimum ſcribendi ordinem adhuc a me ſervatum ſequi contendam. Hoc praecipue ſciendum eſt, hos omnes Deos ita ab antiquis fuiſſe diviſos, ut variis differentiis ſe referrent, quas in medium ſi afferam, non inutile noſtrae intentioni fore exiſtimo. Quare antequam ad alia deveniamus, parumper de illis tractabimus. Dixere igitur antiqui, Deorum alios eſſe coniugatos, alios virgines, alios nobiles, alios plebeios, alios magnos, alios parvos. Nec in hoc contenti eos iterum diviſere in triſtes, & laetos, bonos, & reos, felices, & miſeros, pacificos, & bellicoſos, iracundos, & manſuetos, divites, & pauperes, marinos, & terreſtres, caeleſtes, & inferos, graves, & faceros, rudes, & faciles,

ciles, diurnos, & nocturnos, montanos, & campeſtres, fortes, & pavidos, caſtos, & adulteros, ſubterraneos, & ſupra terram permanentes. Et (ut Tertullianus teſtatur in ſuo Apologetico, cum loquitur adverſus Romanam religionem) novos, & veteres, ſervos, aut barbaros, Graecos, aut Romanos, maſculos, & feminas, cives, & urbanos, nautas, & milites. Exempla referre nolui, ne manifeſta nimis prolixe ſcriberem. Nam ſi quis Deos ſupra memoratos perpenderit, facillime iis diviſionibus eos adſcribere poterit, cum in rebus per ſe ſat claris verſari abſurdum ſit, & admodum puerile, poſtquam pueri tantum rebus minimis, & per ſe claris obſtupeſcunt. Romani praeterea, varios Deos variarum artium, & diſciplinarum inventores fuiſſe, ſibi perſuaſerunt. Iovi enim artem condendi vaſa adſcripſerunt. Neptunum modum naves condendi reperiſſe aſſeverarunt. Vulcanum fabrae artis eſſe inventorem. Minervam textilia, Muſas canendi modum, Mercurium muſicam, & litteras, Dianam

venationem, & Iunonem indumentum inventaſſe ferunt. Cererem itidem agriculturam inſtituiſſe crediderunt. Aratrum Oſiridi, Baccho vineas, oleas Palladi, bella Marti adſcripſerunt, alioſque multarum artium praeceptores, primoſque fuiſſe inventores crediderunt. Nec minor fuit numerus Deorum, humanae vitae qui praeerant, quoniam ortui noſtro non tantum proſpexere, verum totam vitam humanam mira certe ſuperſtitione, certis patronis, cuſtodibuſque credidere. Cum enim mas, & femina matrimonio iungebantur, copulae matrimoniali Deum Iugalinum praeeſſe dixerunt. In ducendo ſponſam Domiducus; cum uxor domi manebat, Domitius; coniuges ut diutius ſimul degerent, Dea Manturna praeerat. Sponſa viri domum ingreſſa Priapo inſidebat. Cum ſponſa virginitatem amittebat, huic Virginenſem Deam deputarunt. In eam ſubiiciendo Subigus, in premendo Prema mater, uxoris expugnationi Pertunda praefuit. Laſciviae in cognoſcendo uxorem Priapus, & Venus,

menſtruis fluxibus Mena Dea. Poſt copulam carnalem, cum mas a femina ſeiungebatur, ad viri favorem Deum Liberum dicarunt. Hoc idem dicunt in feminis agere Liberam. Vitumnus embryoni vitam largiri credebatur. Partui Sentinus ſenſum praeſtabat. Praegnanti mulieri tres Deos cuſtodes dixere Intercidonem, Pilumnum, Devertimum, ut Silvano Deo parturientibus moleſto ingredi domum prohiberent. In parturiendo, & partus doloribus Lucinam adhibebant, quae & Opis ab opem ferendo dicitur. Ne filii Agrippae naſcerentur, id eſt ne pedibus primi exirent, Perverſam, & Proſam Deas colebant. Infantium vagitibus Vagitinus praeerat. Ut partus in lucem ederet, Dieſpitrem adhibebant. Levana praeerat pueris de terra levandis, Mammis mulierum Rumina, ſive Auma, Lactantibus pueris Potina, eorumdem alimentis Edulica; ut infantium cunae naviter ſe moverent, Cunina; ut pueris facundiam praeſtaret, Mercurius; ut puer artes omnes addiſceret,

ſceret, Minerva; ut timores averterentur, Paventia; ut infans bonae eſſet indolis, Venilia, voluptatibus eorumdem Volupia praeſidebat. Noſtris actionibus Ageronia, compunctionibus, & animi ſtimulis Stimula, magnanimis, & ſtrenuis rebus Strenua, laſſitudinibus Feſſonia, victoriis Bellona, & Victoria, ſupputationibus Numeria; ut ſecreta cuſtodirentur, Angerona. In canendo Caneriam, in bella gerendo Martem adhibebant. Honoribus Honorinus praecerat. Ut divitiis abundarent, Pecuniam venerabantur. Aureis, argenteiſque nummis Eſculanus, & Argentinus praeſidebant, ignavis hominibus Murcea, vel, ut Feſtus mavult, Murcidus. Ut bene pubeſcerent, Fortunam barbatam, & ne inhoneſta cupiamus, Themin colebant. Defunctorum ſociam Naeniam eſſe dixere. Ut caute degamus, Saturnus adhibebatur. Ut dominarentur, Iovem invocabant, ut cuncta exactiſſime proſpicerent, Solem; Luna nocturnis actionibus praecerat. Sationi Seia praeſidebat, virtuti

terrae, quae ſatum ſemen complectitur, fovet, & alit, Dea Bona. Ut laetas ſegetes faceret, Segetia venerabatur. Tritici conſervationi Tutelina, pullulantibus ſegetibus Proſerpina, nodis, qui in frumenti culmis inſunt, Nodatus, frondibus, quae ambiunt culmum, Volutina, dehiſcentibus ſpicis Patelona praeerant; ut ſegetes, & ſpicae aequarentur, Oſtilina, frumenti floribus Flora. Ut acinus in ſpicis inſtar lactis aperiretur, Lattureum colebant. Ut maturaretur, Matutam adhibebant, meſſem vero cum facerent, Rancinam. Silvis Diana, incultis agris Rufina, verticibus, & montium culminibus Iugatinus, collibus Collatia, vallibus Vallona. Ad runcandas ſpinas Spinetem, ut ſegetes noxiis expurgarent, Rubiginem adhibebant. Frugibus Frutteſta, agrorum terminibus Terminus, vitibus, vineis, & uvis Bacchus, olivis Pallas, pomis Pomona, fluminibus, lacubus, ſtagnis, paludibus, rivis, & rivulis Naiades, nemoribus Hamadryades, Fauni, Panes, Satyri,

tyri, & Silvani, montibus Oreades, fontibus Napaeae, ventis Aeolus, mari, aeſtuariis, ſive falſis lacubus Neptunus, Amphitrites, ſuaeque Nymphae, undis littora percutientibus Venilia, recedentibus vero undis Salacia, domorum oſtiis Forcula, cardinibus Carda, liminibus Limentinus, domorum ingreſſibus, & veſtibulis Veſta, hortis Priapus, & Clorides, horreis Ceres, cellariis Bacchus. Focus ſacer erat Laribus, quibus etiam totae familiae cuſtodia tradita erat. Quadriviis Hecates praeerat. Ut animos volveret, Vertumnum, ut ſupplicationes Deis panderet, Ianum colebant, eumdemque invocabant, ut felix principium anno praeberet; & idem pacem, & bellum indicabat. Ut priſtinam recuperarent valetudinem, Apollinem, & Aeſculapium; ut carmina recte, perfecteque componerent, Muſas, & Phoebum petebant. Aeris mutationibus, divitiiſque Iuno praeſidebat. Telluris cuſtodiam Magnam Matrem tenere ſibi perſuaſerunt, quae etiam & Be-

recynthia, Cybeles, Veſta, Opis, & Proſerpina nuncupabatur. Amoribus Cupido, venuſtis operibus, & caris Gratiae praeerant, nauticis Caſtor, & Pollux. Ob humanarum rerum providentiam (teſte Plutarcho) Hora colebatur. Impiorum ad terrendas animas Cerberum praefecerunt. Charontem ad inferos mortuorum animas tranſportare dixere. Furias impiorum animas apud inferos cruciari credidere. Inferni principem Plutonem, ſeu Ditem, aut Proſerpinam dixere. Illi, qui ſpiritus infernales conſtringere valent, Hecates, Herebus, Chaos, Cocitus, Styx, Acheron, Phlegeton, Tartarus, Orcus. Monſtra infernalia ſunt Centauri, Scyllae, Briaraeus, Leona, Chimaera, Gorgones, Harpyae. Accidentia infernalia Umbra, Tenebrae, Somnus, Nox. Iudices inferni Minos, Cacus, & Rhadamantus.

Hucuſque Deos recenſuimus partim Romanos, partim a Graecis, & Barbaris ſumptos, quos omnes Romana religio plurimi fecit;

fecit ; nunc aliquod eſt dicendum de ſacris Templis. Diximus fuiſſe populos, qui Templorum uſum recipere noluerunt, exiſtimantes Deum infinitum, & ex conſequenti indignum, qui locum haberet finitum, & terminatum. Verum Graeci Templum voluere, non ut in iis infinita Dei magnitudo comprehenderetur, ſed ut in iis conſervarentur imagines divinae, & res ſacrae, & ut homines poſſent facile ad ſacrificia, & ad ſolemnitates in Dei honorem congregari, ipſaque non ſolum recepere, ſed etiam eorum uſum maxime tutati ſunt, ornantes, & replentes multis muneribus, votis, ſtatuis, aliiſque ſimilibus, quem morem ab Hebraeis primum receptum retinuere. Legimus itaque in Commentariis Ioſephi ſcriptoris Hebraicarum memoriarum diligentiſſimi, magnum, excelſumque Salomonis Templum id fuiſſe eximia magnitudine, & magnificentia, quod cuivis mundi miraculo conferri poſſet. Nam praeter admirandam amplitudinem, praeter artificioſiſſimam formam,

mam, ſummaque architecturae ratione fabricatam, erat admodum inſignibus petris, & marmoribus mire ornatum, totque vaſis, menſis, & aureis, argenteiſque candelabris, & ornamentis, divitiiſque ornatum, & ditatum, ut ſi Ioſepho fides ſit adhibenda, dicere auſim omnes illius populi divitias in conſecratione, & ornamento illius Templi fuiſſe repoſitas. Quod ut credam, facit M. Craſſi exemplum, qui in tranſitu urbis Hieruſalem, cum ad bellum Parthicum proficiſceretur, hoc Templum maxima ex parte ſpoliavit, Lacunar aureum integrum, quod in ipſo erat, auferens ob maximam auri, & divitiarum illius Templi ſitim. A Graecis itaque, & Hebraeis ſumpſere Romani pari aemulatione Templorum uſum, inter quae pulcherrimum, & ex aliis omnibus ditiſſimum habitum fuit Templum Iovis Capitolini in Capitolio poſitum; maximaeque amplitudinis, famoſumque Templum Pacis, de quo mira traduntur, aliaque, quae multa Romae fuerunt, quorum fere

fere integrum videmus Pantheon ; ut ſileam multorum ruinas tam intra civitatem, quam extra civitatem, ex quorum reliquiis, tamquam ex ungue urſum, facile videmus, quo ſtudio, quaque diligentia uſi fuerint Romani in Templorum fabricatione. Omitto marmora excellentia, quae a longinquis locis incredibili ſumptu ferebant, ad eorum ornamentum. Nil dico de ſaxis praeſtantibus, & mirae magnitudinis, ex quibus faciebant gradus, columnas, columnarum ornamenta, pavimenta, incruſtationes, aliaque ipſorum Templorum membra. Quid dicam de laquearibus, tectis miro artificio ſculptis, auroque, & coloribus affabre pictis, aureiſque tegulis aureatis coopertis ; de ſtatuis innumeris non minus ob materiam nobilibus, quam maximi pretii ob formam? Relinquo quoque ſpolia, vaſa, & alia ornamenta, tum ob ſummorum hominum in maximis negotiis oblata vota, tum ad uſum ſacrificiorum facientia. Illud tantum dicam Romanos, quantumvis religioſiſſimi fuerint,

vel

vel potius ſuperſtitioſi, in ipſorum tamen proſperitate, & amplitudine re admodum religionis ritui adverſa uſos eſſe. In ipſorum nempe Templis inter Deorum imagines, inter ſacrificia, & thura, inter odores, inquam, & hymnos in Deorum laudibus a ſacerdotibus decantatos de multis rebus profanis egiſſe. Quod maxime fuit in cauſſa, ut D. Aurelius Auguſtinus eos vehementer irrideret, & ſperneret. Templa conſecrabant, poſt conſecrationem Auguſta vocantes, variaque habebant nomina, quibus Templa nominabant. Nam & aedes, & fanum, & delubrum, & tueſcam, & ſaepe aram Templa dicebant. Quamvis ara eſſet etiam illa Templi pars, quam nos altare dicimus, in quo veteres ſacrificabant. Et vero animadvertendum Templa aliter conſecrari, aliter Deos. Nam teſtatur Cicero, Templum conſecrari ſolitum, plebe iubente ex legis praeſcripto. Sed ſcribit Tertullianus, Imperatori vetitum fuiſſe Deum aliquem conſecrare, niſi is primum a Senatu fuiſſet appro-

approbatus; ſicut evenit, eodem teſte, de ſuo Alburno. Primus Templorum in Italia fundator ex Macrobii auctoritate fuit Ianus, ab eoque pariter venit Deum adorandi, & ei ſacrum faciendi modus, & ratio. Etiam Romani, Graecorum uſum ſequuti, eum Deorum terminatum, & abſolutum numerum non habuere, quem aliae nationes habebant. Ex quibus quaedam ſolam ſtatuam, aut imaginem habebant, quaedam plures, ſed paucas, & ſemper eaſdem eodem modo, & actu depictas, vel ſculptas. Romani vero in dies Deos novos recipiebant, eoſque varie, variiſque in Templis venerabantur; ex quo forte Agrippa Pantheon ſuum omnibus aliis dedicavit. In quo falluntur ii, qui ipſius nomen ab etymologia deducunt ..... cum ſine dubio a ..... veniat, ſitque figura rotunda. De hoc barbararum gentium uſu, Platonem teſtem fidum habemus, qui ſcribit in Aegypto inter ſacra reponi ſolere Deorum ſtatuas omnes, nulla excepta; cum ipſi

numerum definitum ſimulacrorum haberent ; nec volebant ſculpi, aut pingi alium, nec aliter quam eum, aut eo modo, quo patres, & vetuſtiſſimi eorum antenati facere ſoliti eſſent. Romani autem fere in infinitum Deorum numerum auxere ; quare aequo iure dolet M. Tullius etiam vitiis ſtatuas apponi ſolitas, & febrim quoque pro Dea cultam Romanis perſuadens, ut veris tantum Deis, & virtutibus Templa, & Arae aedificarentur. Sed ad Graecorum morem redeuntes, reperio ipſos divinas ſtatuas ſculpere ſolitos ex more, & hominum proprietate. Ii namque populi, qui bellica arte delectabantur, Deos armatos faciebant, & in belli gerendi actu, quales fuere praecipue Lacedaemonii. Qui mercaturam exercebant, erantque in eo, ut divitias compararent, ipſis crumenas in manu pecuniis onuſtas ponebant, aliaque ſimilia, quales Phoenices. Atque ita humana ſtultitia nullum deſideriis modum reperiens, tantum abeſt, ut ſe emendaret, ut Deos quoque ipſos

ipſos eadem inſania inficeret; illud eſſe Dei felicitatem exiſtimans, quo non prorſus homo acquieſcere poteſt, beatuſque reddi.

Nunc eſt dicendum aliquid de Statuis. Quod antequam faciam, primum dicam, quo ſitu, quaque forma veteres Templa facere voluerint. Primum ſcribit Livius, idque confirmatur a Plutarcho Numam, poſtquam Rex creatus fuerat, ab Augure ductum fuiſſe in locum, ubi in lapide ſedit, vultu meridiem reſpiciens, ibique Templum delineatum fuiſſe, cuius dextra pars ad meridiem vergeret, ſiniſtraque ad Aquilonem. Verum Vitruvius ſcriptor praeceptorum Architecturae ſatis diligens in primo operis ſui libro ait, Templa Romae fieri conſueviſſe, & aliis in locis, ita ut frons Orientem ſpectaret, in iiſque aedificandis maximam eſſe adhibendam conſiderationem, ut decor obſervetur, graduſque ipſius Dei, cui aliquod Templum erigitur. Namque aedificia, quae Iovi, Fulguri, & Caelo, & Soli, & Lunae conſtituuntur, ipſo teſte, ſub dio eſſe debent,

cum

cum nos videamus praeſentes, & ſpecies, & effectus in aperto mundo, atque lucenti. Minervae, Marti, & Herculi aedes Doricae fiant; his enim Diis propter virtutem ſine deliciis aedificia conſtitui decet, quod eſt proprium Dorici ordinis. Generis autem Corinthii, delicati, & mollis ſint Templa Veneris, Florae, Proſerpinae, & fontium, Nympharum, quibus apte conveniet genus illud, quod hae Deae graciliores, & floridae, foliiſque ornatae, quae ad huius generis artificia ſpectant. Iunoni, Dianae, Libero patri, ceteriſque Diis, qui eadem ſunt ſimilitudine, ſi aedes Ionicae conſtituantur, habebitur ratio mediocritatis, quod & a ſevero more Doricorum, & a teneritate Corinthiorum temperabitur eorum inſtitutio proprietatis. Dicit idem quoque, in Templis Aeſculapii, & Salutis, qui humanis morbis praeſunt, ſpectandam eſſe regionem ſaluberrimam, & ut ſint proxima aquarum ſalubrium fontibus, quorum ope aegrorum corpora maxime curentur. Idemque

que identidem de aliis dicemus ; quare facile colligitur veteres in hac re fuiſſe diligentiſſimos . Et quamvis videatur , Vitruvium magis loqui de eo , quod fieri deberet , quam de eo , quod Romae fieret , tamen maximam a Vitruvio praeceptorum partem datam eſſe perpendo iuxta id , quod ſuo tempore fieri conſuevit , cum ipſe Auguſto principe floruerit , qua aetate Architectura maxime viguit ; ſi verum illud eſt, quod ille de Auguſto in operis ſui principio ait , Tranquilluſque in Auguſti vita , qui referunt, Octavianum Auguſtum paullo ante mortem dixiſſe Patribus, relinquere ſe iis Romam marmoream , quam lapideam accepiſſet . Idem Vitruvius in tertio libro Architecturae Templorum faciendorum rationem in ſeptem partitus vias, paulloque poſt cum eas iterum alias ob cauſſas divideret, in quinque eſt partitus, de qua re, cum tota architecturae Templi ratio in hoc ſit poſita, non eſt modo conſilium verba facere , tantum dicam antiquos in primis urbis tempo-

ribus, Templo rotundo uſos, quod colligi videtur ex Plutarcho in Numae Pompilii vita, poſteaquè cum humana curioſitas hunc ordinem variaret, forſan, ut hac varietate delectaret, quadrata, ſivè quadranguli figura fieri coepta. Nam Vitruvius eodem, quo dixi, libro tertio, cum Templa in ſeptem vias partiretur, loquitur de Templis quadratis, id eſt de quadratis oblongis, & tamen de iis loquitur ex artificio, quod Romae conſueverat fieri, & extra urbem, ut ex eo percipitur. Verum Pantheon Templum rotundiſſimum, quodque ad hanc diem inviolatum manſit, non minus a tempore, quam a barbarorum iniuriis, ab Agrippa forma ſphaerica fabricatum, quodammodo videtur in lucem revocare priſcorum Romanorum conſuetudinem, qui Templum ad mundi ſimilitudinem fabricati ſunt. Hoc non vidit Vitruvius, qui paullo ante eius aedificationem obierat, quod ſi vidiſſet, facile adducor, ut credam, loquuturum fuiſſe de Templorum figura rotunda, forſanque ipſum

ipſum maxime laudaturum, cum parva Templa laudaverit trium Fortunarum, Iovis, & Fauni in Inſula Tiberina, & alia etiam extra urbem, quae nullo prorſus modo cum hoc, quod dicimus, conferri poterant.

Dixi de Templis, & de ſtatuis, nunc dicam de materia ipſarum ſtatuarum, inde de multitudine earum, & cauſſis, ex Graecorum, Romanorum, & Barbarorum more. Porphyrius, teſte Euſebio, dixit. Deum eſſe lucem puriſſimam, eſſentiam infinitam, pulchritudinem ineffabilem, quae ſenſibus percipi non poſſit, in intellectu poſſit. Itaque iudicarunt veteres ei ſtatuas convenire ex materia nobili, lucenti, & translucida, quale eſt aurum, cuius ſplendor duritici aequiparatur, cum nulla rubigo eum inficere poſſit, neque eius pulchritudinem inquinare. Auro deficiente, argento uſi ſunt veteres, & ubi argenti copia non fuit, marmor ſucceſſit; quod ſi in nigro lapide Deus aliquis fingebatur, hoc fiebat magis, ut appareret Dei

inviſibilitas, quam alia de cauſſa. Auro, & argento inde uti deſiere, conſiderantes veteres, avaritiam humanam neque Diis ipſis parcere: cum Dionyſius Tyrannus illudens, & irridens Deos, teſte Valerio Maximo, Apollinem aurea barba ſpoliarit, quae ipſi voto data erat, dicens Apollinem imberbem eſſe, pariterque veſtes Deis donatas ademit iocans, aeſtate nimium graves eſſe, hieme nimium frigidas; quare ex maiori parte aere uſi ſunt, cuius magis praeclarum genus Corinthium dictum eſt, & ſtatuis, & nummis aptiſſimum. Sed ſtatuarum mos antiquiſſimus eſt, nec facile ſcimus, cui primam originem debeamus, ipſeque Plutarchus de hoc loquens iudicem ſe eſſe recuſavit, qui non ſolum huius moris vetuſtatem recenſet, ſed etiam ſcribit primos earum auctores a ligno coepiſſe, ſimulacra ex hac materia conſtituentes primis temporibus. Cuius rei cauſſam eſſe Plutarchus exiſtimat, lapides nimium eſſe duros, aurumque, & argentum terrae faecem eſſe, atque ideo habi-

tas

tas esse materias indignas divina forma. Ego vero dicerem, rudes veteres, cum nullam deliciarum rationem reperissent, neque homines assuefeciissent, ut ea penderent, quae maximi fiunt, caraque nunc sunt, ligno contentos fuisse, utique quod facilius reperiretur, quodque minori labore sculperetur. Alii dixere, lignum fuisse animatum, ideoque videri nobilius lapidibus, auro, atque argento. Ego vero nescio, utrum horum sententiam praeferre debeam Platonis sententiae, qui dicit, ebur statuis non convenire, ut quod fuerit animatum, animamque postea, & vitam amiserit. Idem Plato fuit in ea sententia, statuas fieri debere ex ligno. Quod si quis nunc diceret: ergo Plato sibi ipsi est adversatus lignum laudans, eburque vituperans, tamquam rem mortuam ex viva, quae erat, cum & lignum habuerit vitam, & animam vegetativam; huic certe responsum volo, Platonem hanc considerationem habuisse, brutorum animam, vel rem similem animatam fuisse veram vitam,

animam vero plantarum nec veram animam, nec perfectam vitam dici posse; nam ubi non est sensus, ibi non est vitae perfectio. Cum igitur ebur fuerit res sensibilis, vel saltem animalis, qui sensibilis esset dens, praetereaque animalis admodum disciplinabilis, de quo veteres dubitarent, an haberet nobiscum partem humanae intelligentiae, & rationis, ideo factum est, ut deposuerit magnam, & excellentem perfectionem, qua amissa, redditur divinae figurae minus aptum; arbor vero, relicta vita vegetativa, rem parvi pretii relinquit, indeque minus indignum ad hanc rem videtur. Chalybs, atque ferrum Deis faciendis, auctore Platone, non conveniunt, cum sint res nocivae generationi humanae, ex quibus originem habent bella, & homicidia. Redeamus ad lignum antiquissimam statuarum materiam, dicamusque hac fortasse de causa Propertium Poetam induxisse Vertumnum loquentem de sua statua lignea, quamvis posset etiam dici, Propertium non solum veterem mo-

morem ſpectaſſe, ſed ipſius Vertumni pauperatem, ut qui Deus eſſet non admodum nobilis, & quaſi Roma exſulans, rureque habitans, cum fuiſſet tamen Numae temporibus Deus urbanus. Hic mos Deos ligneos efficiendi Romae a primis uſque temporibus acceptus fuit, manſitque, (quod ait Plinius) ad bellum uſque Aſiaticum; verum, Aſia domita, cum aliis delitiis in Italiam, & Romanam civitatem translatae fuere nobiles, & pretioſae ſtatuae, quod videntur queri etiam Appianus, & Plutarchus: Verum Plinius affirmat, Romae per multos annos maximi factum eſſe cretaceas, & gypſaceas ſtatuas, antiquiuſque id fuiſſe, quam aes, ex eaque materia fieri ſolita divina ſimulacra, quae maximi fiebant. His ornabantur atria domuum, imo & templa ſacra, atque in ſacrificiis nullis aliis vaſis utebantur, quam cretaceis, qui mos cum a deliciarum uſu victus fuiſſet, aurum, argentum, aes, marmoraque ſucceſſere, quaſi divinae mentes cum hominibus in iiſdem

affectibus, & in eadem cupiditate certaverit. Quare iure dolentes Persius, & Seneca tot statuas auratas, dicebant, Deos velle hominum corda, & non aurum, aliaque metalla. Haec credo fuit copia illarum statuarum, quae in tantam copiam excrevit, ut Alexander Severus, teste Spartiano, in animum induxerit eas de omnibus templis tollere, cum in animo haberet Hebraeas leges tueri velle, templumque Christo erigere, de quo Romani cum acerbius monuerunt, dicentes, si id feciſſet, futurum illud Imperii Romani exitium, omnesque, relicta veteri religione, Christi fidem accepturos. Cum Dei hi Gentiles infiniti fere sint tum ob eorum multitudinem, quam Varro ad trium millium numerum redegit, tum ob multa, quae ex iis, & de Religione Romana a variis scriptoribus variis temporibus dicta fuere, ideo satis firma ratione niti me putabo in orationis meae prolixitate. Et Plinius Iunior dicit longum non esse, qui multa dicit, sicuti neque Homerus, eodem teste,

teſte, longus fuit, cum non is, ſed materia ab eo pertractata fuerit in cauſſa. Sed ut unde digreſſus ſum revertar, dico cauſſam, quae antiquitus movit homines, ut multos Deos celebrarent, fuiſſe eam, quam afferam, cum prius dixero, quomodo uſi fuerunt veteres in cognitione, & intelligentia Dei. Dico itaque, Deum, cum ſit mens puriſſima, & intelligentia disiuncta a noſtris ſenſibus, difficile ab hominibus cognoſci, cum omnis noſtra cognitio originem ſumat a rebus ſenſibilibus, & ab imaginatione. Quare veteres hac via naturali ad Deum procedentes, eiuſque rei, quam conſequi optabant, impoſſibilitatem videntes, varios, & diverſos effectus rerum naturalium conſiderarunt, & ex earum natura Deum cognovere, eius bonitatem, & divinitatem ex operationibus, quae videntur in effectibus naturae, perpendentes. Hinc evenit, ut ipſi videntes ignis naturam eſſe potentiſſimam, & motus ſui velocitatem, luminis claritatem, partium ſubtilitatem, praetereaque conſumptionem

omnium

omnium rerum ab eo procedentem, ad earum initia eas convertentem, eum Deum esse putarunt, moti quoque auctoritate Heraclíti, qui omnium rerum naturalium principium, & originem eum solitus erat nominare. Huic ignis adorationi consensere Persae, qui ut ostenderent, ignem Deum esse maiorem aliis, esseque verum Deum, eum omnes ex ligno, & ex petra Deos comburere, & omnes ex aere ad nihilum redigere aliis patefaciebant. Sed non consistente vana hominum curiositate, succesſere alii, qui dixere aquam esse Deum, forte Thaletis Milesii opinionem sequuti, qui dixit eam esse principium omnium rerum nascentium. Cum quo consensere omnes fere Poetae, dicentes Oceanum magnum, atque supremum omnium rerum, quae in mundo sunt, parentem. Quod dixere videntes aeternitatem fluxus, atque refluxus maris, & praeter id, facilem illius, & expeditam viam; qua omnia penetrare dignoscitur. Hinc etiam adoratio venit in Aegypto Dei Canopi,

nopi, ab aliis dicti, Nili Dei, qui aſtutiſſimi cuiuſdam ſacerdotis opera maior igne creditus fuit; nam illum coram Perſis exſtinxit aqua in vaſe incluſa, ubi ſacra faciebat, & hinc concluſit, aquam eſſe verum, & potentem Deum, quae aliorum Deorum deſtructorem deſtrueret. Alii poſuere terram, eam non ſolum Deam vocantes, ſed magnam aliorum omnium matrem exiſtimantes, cui opinioni nemo philoſophorum adhaeſit, tantum Heſiodus, moti ſtabilitate, firmitudine, robore, & facilitate, quam obtinet in omnium rerum generatione. Sed aer neminem reperit, qui eum ſolum pro Deo haberet, forſan, quod ſpiritum Dei, & flatum eſſe credebant, vel, quod ait Ariſtoteles in 1. libro Phyſicae, quod aer non habeat ſenſibiles admodum qualitates, quod maxime fuit in cauſſa, ut Heraclitus, Democritus, & Epicurus negarent aerem eſſe rem aliquam in mundo. Alii dixere quatuor elementa eſſe Deos, vel moti Empedoclis auctoritate, qui dixit haec elementa

una

una cum amore, & discordia esse principia omnium rerum naturalium, vel eorum Aegyptiorum opinione, qui dixere quatuor elementa esse Deos geniales, quod cum Sole, & Luna omnia, quae nascuntur, generarent. Verum Pythagoras, Socrates, & Plato ad veritatem eo magis aliis accedentes, quo minus rudis antiquitatis tenebris involuti fuere, aliter Deum cognoscere nos voluere. Nam Pythagoras dixit unicum, invisibilem, & omnium rerum principium. Socrates pro hac ipsa veritate non solum vivens laboravit, sed etiam in huius opinionis fide mori voluit. Plato quamvis varios Deorum ordines poneret in Epinomide, & in Timaeo, forte, ut Athenienſium religioni consuleret, & sibi ipsi a poena Socrati inflicta, dixit tamen Deum esse unum opificem, rerumque omnium magistrum, creatorem mundi sensibilis, plenum, & refertum omnium idearum, & summa sapientia, atque providentia praeditum. Aristoteles cum eo convenit in unitate, in reliquo non

non item, vocans Deum ſubſtantiam primam, aeternam, omnipotentem, ſimplicem, intelligentem, primum motorem, primam formam, ultimum finem, ſummum bonum, cauſſam cauſſarum, perfectionem feliciſſimam, & felicitatem perfectiſſimam omnium rerum, quod non tantum dicit in octavo libro Principiorum naturalium, ſed etiam in XII. ſuae ſapientiae, & ſaepe in Philoſophia Morali ad Alexandrum, & ad Nicomachum ſcripta. Veterum opiniones ita crevere, & multae factae ſunt, ut Deus infinitis modis circumſcriberetur, ex eorum effectuum, quae a natura producuntur, diverſitate. Inde nata eſt occaſio ſumpta a Poetis fabulandi, quo eis modo libuit, & vulgo credendi, quod opinio vim habuiſſet perſuadendi. Et ſicuti videmus, animam humanam, quamvis ſola, & ſimplex eſſentia ſit, ex variis tamen membris ab ea motis, & animatis, & ex potentiarum ſuarum, & operationum diverſitate aliud, & aliud nomen ſibi comparare, unde

dici-

dicitur anima vegetativa, anima ſenſibilis, motiva, & rationalis, & ſenſibilis etiam dicitur anima viſiva, anima guſtativa, & ita de aliis; pariter veteres etſi ſolum Deum crederent, conſiderantes tamen varios effectus, quos ipſe in mundo producit, ex illis variorum Deorum nomina repererunt, & cum varietatem vocum ſequatur operationum differentia, eorum imagines differentes fuerunt, & ex conſequenti diverſa templa, honores, ſacrificia. Ex hac radice ortus eſt mos faciendarum ſtatuarum divinarum modo ex ligno, modo ex petra, modo ex aere, ut dictum eſt, & Romani praecipue ſoliti erant conſtruere haec ſimulacra pedibus conſiſtentia, manu ad ſacrificantes porrecta, certe, ut demonſtrarent eorum ſtabilitatem, & vim, & perſeverantiam, quam habent in gratificandis mortalibus, oſtendentes in eo actu eos numquam eſſe laſſos, neque otioſos. Pulchra eſt illa quaeſtio, quam quidam movent, an in his Deorum imaginibus fuerint primi Poetae, an origo

orta

orta ſit ex Pictoribus, & Sculptoribus. Equidem ſi Homerum legimus, quo loco nobis figuram, & formam Iovis depingit, eam deſcribens ſumma maieſtate gravem, & magnitudine venerabilem, fatebimur Iovem illum Olympium a Phidia fabricatum, ut ait Plinius, & Strabo, ad quem accurrebant omnes Graeciae populi, ob oracula factum eſſe ad imitationem eius, quem dixi, deſcripti ab Homero. Cui Homerus aſſignat oculos graves, & venerabiles, cilia maieſtatis plena, capitis motum, quo mundum quatit, & movet. Idem quoque de Iove eburneo in eodem templo mirae magnitudinis poſito. Verum praeterea, quis eſt, qui neſciat, Pictores, atque Sculptores non pendere a Poetis, cum habeant parem licentiam cum ipſis, ut ſcribit Horatius in Poetica, fingendi ex eorum libito, quod iis placet? &, ut teſtatur Plinius de Nealce Pictore illuſtri in exprimendis ex ſe ipſo pulcherrimis inventionibus, qualis praecipue fuit bellica pugna inter populos Perſiae, &

Aegy-

Aegypti, abſque dubio hanc quaeſtionem & difficilem, & probabilem credemus. Credo ego Poetas multis in rebus lumen praetuliſſe Pictoribus, & Sculptoribus, & in multis aliis ab iis beneficia accepiſſe, & identidem in imaginibus Deorum paullatim, & non derepente artes inter ſe ſibi ipſis occaſionem dediſſe, & argumenta Deorum formandorum, ita ut eorum figurae ad perfectionem viderentur perductae. Verum quomodo eſſent Romanorum Dei proprii, & ab exteris nationibus ſumpti, figurati, & ornati, multi loquuntur. Nos interim aſſignabimus eorum naturam, aſſignantes ſtabilem, & firmam diviſionem eorum, & qua poſtmodum cognoſcatur figuras, & habitus ipſis a Scriptoribus, Pictoribus, atque Sculptoribus datos reſpondere convenienter ei Deo, quem ipſi repraeſentare nobis ſtuduerunt. Fuere quidam Dei dicti magni Dei, nomine excellenti, atque magnifico, alii communes, & gradu aliquantum inferiores a praecedentibus. Magnos putabant eſſe

Iovem;

Iovem, Minervam, Mercurium, & hos Aeneas ex Samothracia in Italiam attulit. Alii dixere Deos maiorum gentium fuiſſe duodecim, ut dictum eſt, Iunonem, Veſtam, Minervam, Cererem, Dianam, Venerem, & ex maribus Iovem, Martem, Mercurium, Neptunum, Vulcanum, Apollinem, & hi aliquando dicti fuere Dii Penates, & magni, vel quia famoſiores, & magis illuſtres aliis eſſe crederentur, vel quia maiorem in iis ineſſe vim homines exiſtimarent. M. Varro Romanorum ſapientiſſimus putavit Caelum, & Terram praecipuos eſſe inter Deos. Aegyptii Iſidem, & Serapidem. In Latio Saturnum, & Opem. Multi vocarunt Deos magnos Penates, quod iis vivimus, ſpiramus, & habemus vires corporis, & animi. Hos dicunt eſſe Iovem in medio caeli, Iunonem in extremo, & infimo loco, in ſummo Minervam. Alii dixere Apollinem, & Neptunum. Dii communes, & magis in uſu, quam alii, fuere Mars, Victoria, & Bellona, quod mortalibus citiſſimi auxi-

liatores eſſent. Neque defuere, qui dicerent Deos communes eſſe Matrem Deûm, Solem, Lunam, Plutonem, & Martem, quod ab omnibus fere venerarentur. Perſae adorarunt, ut dictum eſt, Deum Ignem, habitatores Nili Canopum, Schytae Martem, cui ob ſummam venerationem ſacra faciebant equis. Maſſagetae, & Poeni adorabant Solem, & Lunam, alii Plutonem, & hos vocant Deos praecipuos, quamvis aliqui credunt Deum praeſidentem Perſarum eſſe Solem, & Lunam Graecorum. Varro ex numero MMM. Deorum ſelegit aliquos, quos vocat Deos Selectos, & praecipuos, & ſunt ii, quos dixi alias, Ianus, Iuppiter, Saturnus, Mercurius, Mars, Apollo, Genius, Vulcanus, Sol, Neptunus, Liber, Orcus, Iuno, Terra, Ceres, Luna, Diana, Venus, & Veſta. Vocat ille hos Deos ſelectos, qui maxime in uſu fuerint. Geniales crediti fuerunt Aqua, Terra, Ignis, & Aer, quibus addunt Solem, & Lunam, a quibus generantur omnia, & quibus

bus in ſuo natali quiſque ſolitus ſacra facere. Genius creditus fuit eſſe filius Deorum, & pater hominum, quamvis Empedocles diceret, duos Genios nobis eſſe datos pro cuſtodia noſtrae vitae, quo tempore naſcimur, alterum bonum, alterum malum. Menanderque unum ſolum eſſe affirmavit, quemadmodum quidam dixere ſingulos habere, tamquam cuſtodes, & athletas, proprium Genium, & propriam Iunonem. Diximus etiam Lares acceptos fuiſſe in numero Deorum, dictoſque fuiſſe a veteribus Deos inferiores, & minores, quibus data fuit cuſtodia privatarum domuum, viarum, & civitatum. Hi ab Aegyptiis quatuor dicti ſunt, Dimon, Tychis, Heros, Anachis, quos hominibus praeeſſe ſtatim, ut editi ſunt, putarunt. Plato tria genera Deorum fecit, quorum primum eſt unicus, & ſolus Deus. Poſt Dei medii ab ipſo dicti habitatores caeli, inde ſequuntur Dii inferiores. Daemones vocavit Miniſtros Deorum, & cuſtodes hominum. Fuere & alii Dii ruris, & ruſtico-

rum, quos plebs ruſtica venerata eſt, Iuppiter, Terra, Sol, Luna, Ceres, Tiber, Rubigo, Flora, Minerva, Venus, Lympha, Bonus eventus, qui morbos pellunt, & iniurias caeli. Verum Poetae addidere Vertumnum, Priapum, Chloridem, Pomonam, & Tibullus etiam Palem. Sequuntur modo Dei patriae a Romanis dicti Patrii, eos dico, qui civitatibus particularibus dati ſunt in cuſtodiam, quales fuere Apollo, & Minerva Athenis, & populis Ilienſibus, & Gnoſiis, qui volunt eam ibi natam eſſe, etſi Alalcomenii ſuam facerent. Liber, & Hercules ordinarie dabantur Thebanis, & Berytiis. Carthagini Iuno, quam placabant ſanguine humano. Et ita credebatur Sami, Spartae, Micenae, Argi, ubi dicitur eam natam. Cypro data Venus, & Paphiis; Rhodiis, Apollo, Lemno Vulcanus, Naxo Liber, Delpho Apollo, Taenaro Neptunus, Cyazenis Pallas, cum ea civitas fuerit eius dos. Tenedi ſervati fuere a Deo Teneate, Alabandenſes ab Alabando. Parii, & Thesbii

Cupi-

Cupidinem habuerunt, Cretenſes Dianam; iis datam a Britomarte, Romani Martem. Erant hi Dei Patrii magno honore celebrati a civitatibus, & populis eorum devotis: quamvis exiſtimarent committere magnum ſcelus, ſi eius Dei nomen patefacerent, qui curam patriae haberet, ne evocationum vi, quae ſolent fieri ab inimicis, ut Deos a cuſtodia unius civitatis revocent, ſi eius Dei nomen clarum eſſet, a ſolita cuſtodia removeatur. Vetus enim erat conſuetudo in civitatis obſidione, cum ad extremum conflictum deventum ſit, Tutelares civitatis obſeſſae vocari quibuſdam carminibus, & verbis ad hoc factis, quae dicuntur Evocationes, iiſque pollicebantur maiores honores; & Templa magis ornata, & magis ſacrificiis exornata, quam eo loco habebant. Et ideo Aegyptii, & Perſae etiam non conſuevere hos Deos Patrios habere, verentes, ne vi Evocationum deficerent. Alii nectebant catenis, ne fugerent, alii petebant vades pro eorum ſtabilitate. Tyrii obſidione oppreſſi

catena aurea ſtatuam Herculis ligarunt, Deum patriae, ne fugam arriperet. Et hic mos non ſolum fuit maiorum civitatum, ſed etiam oppidorum. Cruſtumeni Patrium Deum habuere Deluentinum, Narnienſes Viridianum, Aſculani Ancarium, Vulſinienſes Nuriam, Ocriculani Valentiam, Sutrini Norciam. Iuno, quamvis Dea Carthaginienſium, a Romanis maximo in honore fuit habita. Nam poſtquam Conſulatum acceperant Conſules, ſacra faciebant Iunoni Hoſpitae; & Kalendae ſingulorum menſium, praecipueque Kalendae Martiae eius divinitati dicatae fuerunt, iiſque ſacra faciebant. Unde Matronales dicuntur, quod Matronae pro matrimoniis eas celebrarent, & in iis ſacra facerent. Eoque die Templum venerari coeptum huic Deae ſacratum, quemadmodum menſe Aprili eaedem Matronae myrto coronatae Veneris feſta celebrabant. Verum cum antiquis de hiſce Deis loquens dico, ſingulos eorum variis nominibus eſſe appellatos ob varios effectus, & poteſtates, quas in iis

eſſe

esse credebant. Cum Iuno a Curetibus dicta fuerit Lucina, Marrona, Regina, & Opigena, quod opem ferat mulieribus parturientibus, dicta etiam fuit Hera, Interduca, Cinxia, Hippia. Verum Etrusci Cypram dixere, Laurentes Caledatidem, Corinthii Amethystum, alii Matrem Deûm dixere, alii Pelasgam. Venus similiter dicta fuit Cypria, Adonis, Verticordia, Aphrodites, & a Syriis etiam Melitta, ab Arabibus Alitta, a Graecis Pytho, ab Eleatibus Urania, a Schytis Arginipea, a Cypriis Barbata, Calva, Armata, Pandermus, Apostropha, & Callipyga; a Thebanis Praepotens, a Persis Mithra. Apollo quoque varia nomina habuit; nam ab Athamenis Titan dictus fuit, ab Aegyptiis Osiris, a Lydiis Limius, ab aliis Eleus. In Taurominio dictus fuit Arthigetes, a Syracusis Themis, a Graecis Tyreus, eique ante ianuas sacra faciebant, a Pachinis Libissinus, a Schytis Etoscirus, a Lesbiis Miriceus, a Spartianis Curnius, ab Atheniensibus Patrous, & Alexiacus, a Deliis, & Mi-

Ieſiis Ulius, & Peonicus. In Arcadia dictus Epicurus, ab Eleatibus Oſophagus, ab aliis Lycius, Phoebus, Phaneus, Iſmenus, & Orius. Minerva varie appellata, dicta enim Trigemina, Glaucopis, Sais ab Aegyptiis, Aſſiſia a Miletiis, a quibus Templum habuit famoſum, & illuſtre, a Graecis Athomis, a Cretenſibus Dictynna, Phoebe, & Diana, a Siculis Lien, quod dolorem in partibus tollat. Prima filia fuit Iovis, ſecunda a Nilo genita, tertia ea, quam Arcades Chorionem nominarunt, quarta Pallantis fuit, eam dico, quae patrem interemit, quod carnaliter eam cognoſcere voluerit, cuique pennas talaribus dedere. Bacchus dictus quoque Liber, Bromius, Lenaeus, & Dionyſius, a Siculis Morichus, ab Arabibus Oracal, & Adoneus, ab aliis Erebinthius, & Sabazius, a Lacedaemoniis Scitices, & Milichius, & eius faciem moris tingebant, eique arcas pedibus apponebant ex vetere more. Mercurius a Gallis dictus fuit Teutates, ab Aegyptiis Their. Dicti etiam fuere quinque Mercurii,

rii , & multi etiam Vulcani . Verum Cybeles dicta Rhea , & Berecynthia , & a multis Bona Dea , a Phrygiis Iſis , Peſſinuntia , & Mater Deûm , ab Atticis Cecropia , Minerva , a Cypriis Venus , Paphia , a Cretenſibus Diana , Dictynna , a Siculis Proſerpina , Stygia , ab Eleuſinis antiqua Ceres , ab aliis Bellona , ab aliis Iuno , ab aliis item Hecate . Fortuna varia habuit nomina , totidemque Templa Romae , dicta enim fuit Fors , Fortuna , Parva , Muliebris , Convertens , Viſcata , Equeſtris , Redux , Evelpis , Attrophea , Bene ſperans , Propria , Virgo , Seia , Reſpiciens , Mala , Bona , Omnipotens , Barbata , Mammoſa , Dubia , Peregrina , Virgo , Privata , Publica , Opipara , Favens , Obſequens . Sed & Venus varietate Templorum nomen ſortita , modo Veneris abſolute , modo Veneris Victricis , modo Veneris Myrtheae , modo Veneris Genetricis , modo Veneris Cloacinae , modo Veneris , & Cupidinis . Pariter & Templa Iunoni ſacra dicta fuere Iunonis Monetae ,

Iuno-

Iunonis Matutae, Iunonis Reginae, & Iunonis Lucinae. Et Iuppiter modo dictus est eadem de cauſſa Tonans, modo Feretrius, modo Capitolinus, modo Optimus Maximus, modo Stator, modo Veiovis, quaſi nocens, & modo Cuſtos. Praeter hos omnes Deos fuere & in maxima veneratione Dei Indigetes, qui ab hominum viventium numero ſumpti ob ſingularem virtutem, & gloriam illorum feliciter repoſiti fuere in Deorum numero. Moti forſan auctoritate Platonis, qui dixit hominem, ſi ſequatur ſenſum, & partem rationis expertem, id eſt concupiſcentiam, fieri belluam, & feram, ſin rationem ſequatur, fieri Deum, vel aliud quid divinum. Quare cum inter veteres aliquis vel bellica arte, vel pace excellens nitebat, patriaeque aliquod magnum beneficium tribuebat, vel toti generi humano, is procul dubio poſt mortem fiebat Deus Indiges. Ii fuere Hercules, Aeneas, Caſtor, Pollux, Aeſculapius, Romulus. Et hunc morem ſumpſere Romani a Laconiis, qui homi-

hominibus insigni, & singulari virtute praeditis Templa consecrabant, altariaque, praebentes iis sacrificia, honores, supplicationes, caeremonias, vota, statuas, imagines, thura, flamines, pulvinaria, & sedem immortales inter Deos. Verum audentiores Romanis Graeci fuere, cum iis fuerit mos consecrandi homines, dum viverent, quod factum est in Platone, & in Agesilao, quibus divini honores sunt tributi, dicatique ludi, certamina, sacrificia singulis annis, dicta anniversaria a Latinis, & tamquam Numina, & Heroes venerati etiam vivi. Sed supra omnes hoc honore dignus erat, qui vel libertatem patriae dedisset, pulsis tyrannis, vel a magno aliquo malo liberasset. Pari modo & Caesares Romani, quorum virtute, & meritis Imperium Romanum vel crevit existimatione, vel finium latitudine, post mortem inter Deos fuere repositi, indeque fiebat, ut post ipsam consecrationem mutarent nomen. Nam Romulus post consecrationem dictus fuit Quirinus;

nus; Ino Matuta, Leucothea, Albunea; Melicerta Palaemon, & Portumnus; Leda Nemesis; Circe Marica; Nersilia Hora; Rhea Mater Deûm, Idaea, Dindymena, Philena, Pessinuntia, Cybeles, Berecynthia. Caesares consecrabantur Romae; verum Senatus decrevit, nullum Caesarem consecrari inter Deos absque expressa licentia, & decreto Patrum; Diocletianusque, cum Imperium voluntarie deposuisset, & ad vitam privatam se retuliſſet, post mortem Senatus Romani consensu, & populi voluntate inter Deos fuit consecratus. In hocque primus fuit, & solus: nisi si Carolus Quinctus Imperator nostrorum temporum victoriosissimus, & invictissimus ipsi secundus non fuit; quamvis Caroli repudiatio, sive renuntiatio attulerit occasionem, & necessitatem, a Diocletiani abdicatione admodum differentem. Hic honor, & dedicatio ab antiquis voce graeca dicebatur Apotheosis, ultra quam non licebat maiorem honorem cogitare. Verum Constantinus Maximus (quod est dictu mirum) con-

conſenſu diverſarum nationum, ut lingua, ita moribus, & Religione differentium, a Gentilibus numeratus fuit inter Deos, & a Chriſtianis repoſitus in ordinem, & numerum Divorum. Ageſilaus hac divinitate honeſtatus fuit vivens a Thaſiis. Nec minor gloria fuit Euthymi Poetae Locrenſis, qui oraculi perſpicuo iuſſu vivens adhuc conſecratus fuit, & relatus inter Deos. Sed omiſſis Caeſaribus, & aliis, repetamus priorum cognitionem, & dicamus Indos populos carmine rudi veneratos eſſe Iovem, Pluvialem a Romanis dictum, & una adoraſſe & flumen Gangem, tamquam eorum Deos Indigetes. Pariter Meroites Herculem, Pana, & Iſidem, Germani venerabantur Tuiſtonem Deum e terra prognatum, & Mannum eius filium, Aſtimphaliſſi Achillem, Perſae Amanum, & Anandatum, Veneti Diomedem, cui immolabant equum album. Aegyptii habuere Iſidem, Mauri Iubam, Poeni Uranum, Macedones Gabirum, Latini Faunum, Siculi Adranum, Libyes

Libyes Pſaphonem. Hic Pſapho cum eſſet homo vilis, & abiecta fortuna, ſed animo parum inferiori Alexandro Magno, docuit quaſdam aves natura loquaces haec verba dicere: Pſapho eſt magnus Deus, & iis dimiſſis, ut irent in nemora, fecit, ut ab iis populis rudibus Deus crederetur. Nam, cum ii avium vocem audirent, & rem divinam eſſe credentes, auctorem iſtius aſtus fortunati tamquam Deum adorarunt. Habent & Thraces Indigetem Zamolxidem, Syrii Aſtartem, Adadem, & Agartin, Arabes Diaſaren, Horici Tibilineum, Afri Caeleſtum, Aegiolenſes Deas Macoranas, quique prope Naucratida incolunt, tamquam Deos venerantur Eittum, & Theutum. Nunc poſtulat ordo rerum, ut dicam aliquid de iis Diis, qui dicti fuere Lares. In quo eſt animadvertendum, aliquando apud veteres Scriptores hos Deos Lares ſumi pro iis, qui ſupra Penates dicti ſunt, & Genii, & ita ſunt in ordine illorum; ſed ſumens eos in propria, & ſimplici ſignificatione,

tione, dico Lares fuiſſe duos filios, ut aliqui dixere, Mercurii, & Nymphae dictae Laris, ſi fidem adhibemus Ovidio. Quamvis Lactantius in ſuis divinis Inſtitutionibus exiſtimet, hanc Nympham dici Laram, vel Larundam. Horum fabulam in hunc modum refert Ovidius. Amabat forte Iuppiter Iuturnam Nympham Tiberis, & ſororem regis Turni, Iuppiter iuſſit, ut eius ſociae, ſi Iuturna ab eo aufugeret, eam ſiſterent, ne eam ſequens in flumen non ſe proiiceret. Verum Lara una Naiadum, & filia Almonis hoc ipſi Iuturnae, & Iunoni patefecit. Quare Iuppiter iratus admodum, eam lingua privavit, & Mercurio iuſſit, ut eam ad inferos traderet, & Nympham Stygiam faceret. Mercurius, ea viſa, amore eius accenſus, captam eam cognovit. Inde evenit, ut Lara praegnans facta duos tempore filios pepererit, qui a matris nomine Lares dicti ſunt. Hucuſque vidimus duos eſſe Lares, ſed quia aliquando quatuor dicti fuere ex Aegyptiorum opinione, non idcirco tamen hanc con-

contradictionem ſupra rem debemus exiſtimare, ſed hoc fieri ex differentia locorum, & populorum. Et fuit Platonis opinio, homines virtute illuſtres, & probos poſt mortem Lares fieri, ut improbi, & mali Lemures. Hinc etiam hi Lares dicti Genii. Putarunt enim veteres eos hominis curam gerere ſtatim, ut editus eſſet in lucem; exiſtimantes animas noſtras rationales educi in nova corpora a Mercurio, forſan ea de cauſſa, quod in ſexto menſe tributo regimini ipſius Mercurii, putabant hominem accipere virtutem rationis, ideſt eius regimen a Laribus cauſſatum, vel a Geniis, quaſi auctoribus, & cuſtodibus humani generis. Sed cum ſumuntur pro Diis Penatibus, & magnis Diis, ut videre eſt apud Virgilium, & Ciceronem, tunc ſequuntur diviſionem ſupradictam, cum de Penatibus ſatis ſuperque a nobis dictum eſt. Nunc manentes in propria, & genuina ſignificatione eorum dicimus, hos Lares creditos fuiſſe cuſtodes domuum vitae noſtrae, & tamquam

quam tutores hominum, dictos Genios, ut ait Censorinus; hac de caussa, quod praepositi sint generi humano, vel quia genitos homines custodiunt semper. C. Flaccus existimat Larem, & Genium esse idem, scribens ad Caesarem. Estque animadvertendum aliquando reperiri ex opinione alicuius veteris unum solum Genium, vel Larem fuisse: verum communior opinio est fuisse plures; Namque solebat dicere Euclides Socraticus (ut refert idem Flaccus) custodiam nobis a Deo datam esse duorum Larum, vel Geniorum. Idque aperte cognoscitur ex eo, quod scribit Annaeus Florus, & Plutarchus in vita Bruti. Dicit ille Brutum, cum vidisset in cubiculo suo phantasma nigrum, & meticulosum, nesciretque quis esset, quaesivisse, quo nomine vocaretur, eumque respondisse: Scias, o Brute, me esse tuum Genium malum, nosque revisuros esse in campis Philippis. Indeque elicitur, cum dicat Genium malum, coniici etiam facile posse esse & Genium bonum.

Sunt ergo Lares, & Genii plures, ideſt diviſi bonorum, & reorum nomine, & ſunt incitatores noſtrorum operum, teſtes boni, & mali ſtimuli animae, motores noſtrae conſcientiae, cuſtodes noſtrae vitae, animaeque praeſides ex ſententia Gentilium, & tutores privatarum domuum, ut teſtatur Plautus in principio ſuae Aululariae. Ideoque ei praecipue dicarunt aram ignis, ideſt focum ipſum, tamquam eam partem, quae communis eſt omnibus domeſticis, & familiaribus noſtris. Qua in re dicit Iohannes Boccacius in ſuis Genealogiis, Florentiae ſua tempeſtate etiamnum conſervari communi illius civitatis lingua memoriam, quae eodem nomine veteri eſſet, exſtincta tamen ſuperſtitione Gentilium. Dicit enim Florentinos habere in locis, in quibus communis ignis fit toti familiae, quaedam inſtrumenta ferrea, ad ligna ſuſtinenda, quae dicuntur communi vocabulo Etruſco Lari. Hinc apud Latinos Lar ſignificat ignem, quod dixit Columella. Aliquando idem no-

nomen notat internam partem domus, aliquando domum integram, & ne videar moleſtus, exempla ſilentio praeterire conſilium eſt. Fuere & iidem Lares dati cuſtodiae agrorum, inde Tibullus:

Vos quoque felices quondam, nunc pauperis agri
Cuſtodes, fertis munera veſtra, Lares.

Idem Tibullus oſtendit aperte ſtatuas horum Larum factas fuiſſe ex ligno, forſan ex veteri more, vel ex tenui fortuna Poetae. Non condemno illorum opinionem, qui dicunt Lares veſtitos fuiſſe pelle canis, idque auctoritate perſpicua Plauti, & Plinii, qui dixit quoque, Servium regem finxiſſe eos effigie boum, & pecorum. Verum Plutarchus rationem reddit, unde veniat illos veſtitos eſſe ex corio canis: nam, ait ille, denotabant curam, & diligentiam in cuſtodienda domo, ut faciunt canes. Erant & ſuccincti, quod affirmat Perſius in v. Satyra. Hi erant igitur Dii privatarum domuum,

quibus nobiliſſimi Romani iuxta aedificiorum qualitatem, & quantitatem fortunarum aſſignabant inter alia partem magis, vel minus ſplendide fabricatam, & pulcherrimis ornamentis refertam, ibique & vina, & thura offerebant, & preces pro conſervatione dignitatis, & ſalutis innocentium. Ibi ſingulis annis celebrabantur quoque natalia, & Genii habitantium, praecipueque eorum, qui familiis praeerant, ut univerſa civitas in Templis maioribus conſueverat celebrare Genium, & natale Imperatorum; per quorum Genium qui iuraſſet, ipſius iuramentum habebatur inviolabile, & graviter in eum animadvertebant, qui illud violaſſet. Quare ſcribit Svetonius Caligulam, cum quoſdam homines morti condemnaſſet, ab eoque quaereretur mortis cauſſa, reſpondiſſe, quod contempſiſſent maieſtatem ſuam, cum numquam iuraſſent per ipſius Genium. Verum ad locum revertens, in quo in privatis domibus erant hi Lares, dico eam ob cauſſam dictum fuiſſe Lararium a Graecis ἱφέστιον, ideſt

ideſt ſacrarium, & locum ſacrum domeſticum. Quod hodieque nos Chriſtiani obſervamus, depoſita tamen Gentilium ſuperſtitione; nam in privatis domibus magnorum hominum, & illuſtrium Oratorium fit, vel Eccleſia parva, in qua domeſtice, & in privatis neceſſitatibus Deum oramus, & adoramus. Erant in hoc Larario imagines, & ſtatuae Deorum Larum, qui & Genii, & Penates dicebantur, & alii Dii ex Romanorum particulari voluntate. Verum illae hominum illuſtrium, & praeſtantium, qui utilem in bello, & in pace Reipublicae operam navaverant, meritorum magnitudine, & ad poſterorum exemplum poſitae erant in atriis domuum, & in tabularum, librorumque locis dictis Tablinis, & etiam in Pinacothecis, quae erant cubilia nobilia, & ſpectabilia ob imagines, & ſimulacra hominum praeſtantium. Sed magni viri Imperatorum tempeſtate, & delitiarum, duo Lararia habuere, unum dictum maius, aliudque minus. In primo habebant imagines Deorum; in

altero corum, qui ſimiles fuiſſent Diis; idque aperte videtur ex iis, quae ſcribit Lampridius in vita Alexandri Severi, qui dicit Alexandrum, cum non dormiſſet cum uxore, conſueviſſe tempeſtive ſurgere, & imaginibus Deorum ſupplicationes praebere, quos in ſuo Larario habebat, inter quas ſcribit idem Lampridius, erant imagines Chriſti, & Abraham; in ſecundoque Larario habebat effigies Virgilii, atque Ciceronis. Dixi ſupra Lares veſtitos fuiſſe corio canis; videtur nunc mihi eſſe dicendum, quomodo veſtiti eſſent Dii nobiliores, vel ſelecti, ut Varronis vocabulo utar, cum & hoc fuerit pars religonis Gentilium. Et quamvis pulcherrimum ſit noſſe veſtitus, geſtus, colores, & ornamenta Deorum, tamen quod haec materies requirit longiorem ſermonem, quam mihi hoc tempore conveniat, vos ad eos Scriptores, qui hac de re diligenter ſcripſerunt, remitto, quales fuere praecipue Macrobius, Plinius, Martianus Capella, Blondus, Iohannes Boccacius in Genea-

Genealogiis, Fulgentius, Theopompus, Alexander ab Alexandro, Cartarius, & Antiquarii recentiores; & ad figuras tantum animum adiiciens, dico incipiens a Saturno, eius figuram fieri falcem manu tenentem, ſenem, canum, barbam, & comas gerentem, moeſtum, ſordidum, & puerum in manu habentem, quem devorabat. Figuratus etiam fuit, ut vult Martianus, his omnibus qualitatibus; praeterquam quod dextra ſerpentem porrigit, qui ſibi caudam mordet. Pingitur denique hic quatuor oculis, duobus anterioribus, & duobus in occipitio, quorum duo vigilant, duo ſemper dormiunt; quatuorque alis, quarum duae ſtant in actu volandi, & duae quietae. Addit Macrobius antiquos finxiſſe eum habuiſſe pedes vinctos filo laneo, eumque ita tenere toto anno, praeterquam quod eum ſolvebant menſe Decembri quibuſdam diebus privatim ipſi dicatis. Ianus figuratus fuit duabus frontibus, una anteriori, altera in occipitio, manu tenens virgam, & clavem, & quod ſcribit

Plinius, digitis oſtendebat numerum CCCLXV. qui numerus diebus anni aequiparatur. Ianus hic quatuor facierum etiam fiebat in ſculpturis, qui numerus eſt idem cum quatuor anni temporibus. Apollo, ait Macrobius, dum Solem refert, a Syriis figuratus fuit iuvenis imberbis, tenenſque brachium altum, manu dextera habebat, tamquam auriga, ferulam; in ſiniſtra habebat fulmen, quibuſdam non multis ſpicis. Sed & Romani ſimiliter fecere iuvenem pulcherrimum, laetum, imberbem, ſplendenti auro ſimilem, manu lyram habentem ſepticordem, & arcum, & pharetras. Lacedaemonii fecere quatuor oculis, & totidem manibus. Perſae fecere ipſius ſtatuam capite leonis, veſtitu Perſico, ornatu in capite Perſarum mulierum, & ambabus manibus cornibus bovem tenentem. Pauſanias ſcribit, patres civitatis Achaiae feciſſe ſtatuam Apollinis aerei nudam, pedibus exceptis, qui veſtiti erant, quorum unum ſuper capite bovis habebat. Aſſyrii, ut refert Lucianus, ſoli

dede-

dedere ſtatuae Apollinis barbam longam, & acutam, habebat & pectus lorica indutum, haſtam in manu dextera, in cuius ſumma parte poſita erat parva figura, quae victoriam referebat, ſiniſtra erat in actu porrigendi florem, pannum habebat ad humeros, capite Meduſae a ſerpentibus circumdato, aquilis quibuſdam proximis in actu volandi, & ad pedes habebat imaginem mulieris, duabus item mulierum imaginibus ab uno, & ab altero latere, quae vinctae erant a magno, & tortuoſo ſerpente. In Aſia fuit quoque Apollo Sminthius ſculptus in actu, ut altero pede murem premeret. Dicunt quidam, aliquando praeter ea, quae diximus, addi Apollini columbam humero, una cum muliere, quae attente eam reſpiciens venerabatur. Verum Ovidius ponit in ſuis Metamorphoſibus figuram Phoebi, quae eadem eſt cum Apolline curru a quatuor equis vecto, aureo, argenteo, & pretioſiſſimis gemmis ornato, quae figura eſt imaginatio poetica ab eodem Ovidio felici-

ter

ter deſcripta. Aliter etiam deſcripſit Martianus Capella & ipſe ſequens Poetarum ordinem. Eſt & una Euſebii, quae cum ſit diligentiſſime poſita, & interpretata ab aliis, libenter ſilentio involvam. Ponit & idem Aurorae figuram ex Homeri deſcriptione, qui vult eam habere comas auricomas, auro ſimiles, & ſedile veſte aureata, duobus equis, qui luce mirum ſplendorem praebent. Addit & eiuſdem Aurorae figuram ex Virgilii deſcriptione, qui ei dat manus fere infucatas, quibus a caelo pellit ſtellas; & aliam item, quam alii dicunt, qui volunt eam tenere manu facem accenſam ſupra currum ab equo alato vectum, dicto Pegaſeo. Verum Petrarca, & alii faciunt eam infucatam totam veniſſe ab Orientis portis coronatam roſis, ſpargere mille varietates florum matutinorum, alborum, rutilorum, & purpureorum, & tamen poſtea tingi, ut ait Boccacius, colore croceo. Venio nunc ad Dianam. Haec deſcribitur a M. Tul-

a M. Tullio in Verrinis, ubi accuſans Verris latrocinia, Dianam ab eo in Sicilia raptam deſcribit. Haec erat pulcherrima ſtatua, & magna, veſtem habens, qua ad pedes uſque obtegebatur, aetate iuvenis, & facie virginis, in manu dextra habens facem accenſam, in ſiniſtra arcum, poſt tergora habens pharetram ſagittis refertam. Aliquando ſculpta fuit habitu venatricis, ideſt Nympha ſuccincta cum arcu, & ſagittis, canibuſque venatoriis a latere. Eius arcus aliquando fuit aureus, aliquando corneus, aureum deſcribit Ovidius, corneum Claudianus, qui tribuit quoque currum vectum a quatuor cervis, tamquam nix, albis, & cornibus aureis. Verum Arcades, ut teſtatur Pauſanias, finxere, quod credam, habitu venatricis optime veſtitam, illi aſſignantes pellem cervinam cum pharetra plena ſagittis, & in altera manu ponebant lumen, in altera duos ſerpentes, quibus proximi erant duo canes venatorii. Sed Claudianus deſcribit

eam

eam geſtu manſuetiore, quam Pallas, pulchram, venuſtam, oculis lucentibus, vultu ſplendenti, brachiis candidiſſimis, comis ſolutis, arcu remiſſo, pharetra ad humeros cincta, & veſte paullo minus, quam ad genua erecta. Iovi ex Orphei in hymnis imaginatione tribuitur forma totius orbis, cuius coma eſt ex auro puro, duabus cornibus pariter aureatis, uno oculo Solis, & altero Lunae, pectore colore aëris; a tergo habens duas alas maximas, ventre colore terreo, pedes tenens in mundi centro. Suidas, Porphyrius, & Euſebius faciunt eum in actu ſedendi, nudum partes ſuperiores, & veſtitum inferiores, ſceptrum habentem in manu ſiniſtra, in dextra aquilam, aliquando parvam figuram victoriae, & haec figura non ſolum facta fuit a Graecis, ut teſtatur Pauſanias, talem aeream fuiſſe apud Athenienſes in eorum portu dicto Piraeeo, verum etiam ab Aegyptiis ex parte, ut ſcribunt quidam. Dixi ex parte, quod, ut re-

refert Porphyrius, Aegyptii posuerunt ei sceptrum in manu, ut Graeci, sed in reliquo multum variarunt; ut qui pinxerunt Iovem creatorem in forma hominis, coloris caerulei, circulo in altera manu, in altera sceptro regali, penna in summo capite, ex ore ovum proiicientem. Iidem Aegyptii aliter eum figurabant, facientes hominem, quorum pedes una sunt vincti, & retorti, vestitu colore vario quoad pedes obtegitur, capite pilam auream sustinentem maximam. Aliquando etiam, quod scribit Eusebius, faciebant duos circulos, unum supra alium, dividentes eos serpente, cuius caput erat accipitris. Martianus Capella ait ex propria opinione, eius caput esse ornatum regali corona, auro, & gemmis splendente. Caput ex occipitio tegitur velo lucidissimo, Palladis quondam manu fabricato, subtus vestitu albo, supra vero chlamydem vitro similem, & multis lucentibus stellis distinctam, a sinistra

niſtra habet lyram novem chordarum, in dextra duas pilas rotundas, alteram ex auro puro, alteram ex auro, & argento; calcei ſunt ex viridiſſimo ſmaragdo; ſedet ſupra pannum totum varietate colorum diſtinctum, & ornatum pavonum pennis, pedibuſque tridentem calcat. Plutarchus vult in Creta quondam fuiſſe ſtatuam Iovis ſine auribus, cui tamen contra Lacedaemones quatuor dedere, alii poſuere tres oculos. Etiam ſtatua Veiovis, ideſt nocentis Iovis, facta fuit, ut refert Aulus Gellius, puero ſimilis, qui in capite habeat cornua, & in manu ſagittas in actu feriendi, cui capra proxima ſit. Iuppiter Cuſtos, ut ait Pauſanias, a Polycleto fabricatus, habet cothurnos ad pedes, & in una manu vas potorium, in altera thyrſum, in cuius ſummitate ſtat aquila. Idem addit, apud Eleates in Graecia ſculptum fuiſſe ex ebore, & auro, ſedentem in throno regali, coronam in capite, quae videbatur facta

ex

ex foliis olivi, in dextera tenentem victoriam coronatam, in ſiniſtra ſceptrum diverſis metallis fabricatum, ſupra quod erat aquila, habentem calceos aureos, & chlamydem auream, acu pictam variis animalibus, & floribus, & praecipúe liliis, relucente ſedili multo auro, & pretioſis gemmis, quibus ditiſſime ornabatur, cuius materia erat ebur, & ebanum, ubi multae animalium figurae aſpiciebantur ſculptae, pedeſque, quibus ſuſtinebatur, erant quatuor Victoriae. Alii Dei quomodo figurarentur, non recenſebo, cum minima ſit varietas, pleneque deſcribantur a Scriptoribus, quorum diligentia occaſionem mihi praebet, ut haec abſolvam. Hucuſque diximus, quod potuimus, ſuccincte de religione, & generationibus Deorum antiquorum, & de Templis, & ſtatuis eorum, & figuris, quod ut mihi maximi laboris fuit, quem tamen libenter tulerim, ita opto iis, qui legent, eſſe voluptati, & utilitati. Et forte eſt,

ut

ut id ſperem, cum hoc tam iuſtum deſiderium oriatur tantummodo ex ſola voluntate aliis ſatisfaciendi. Egoque abunde ſatis mihi conſultum exiſtimo, ſi alii non penitus labores meos ſpreverint.

EDITORIS ADNOTATIO.

Lacunas, quas habes ad pag. 221., *intactas reliquimus, ne quid ex arbitrio noſtro in textum alienum induxiſſe videremur. Ceterum heic monere praeſtabit, forte Manutium noſtrum etymon primum, quod reſpuit, illud cenſuiſſe, quo Pantheum nomen derivatur a* πᾶν omne, *&* διάω, *vel* διάομαι video, *quaſi omnia videns, ſeu ab omnibus viſum, ſeu omnibus patens; etymon vero alterum, quod approbat, id intellexiſſe, quo Pantheum, Suida ipſo auctore, interpretatur* νεὼς κοινὸς πάντων τῶν Θεῶν Templum commune omnibus Diis. *Dio lib.* LIII. *Pantheon dictum putat,* ὅτι θολοειδὲς ὂν, τῷ οὐρανῷ παρέοικε, quod forma convexa faſtigiatum, caeli ſimilitudinem oſtenderet. *Hinc Ammianus Marcellinus Pantheon velut regionem teretem, ſpecioſa celſitudine fornicatam dicit.*

THO-

THOMAE PHAEDRI INGHIRAMĪ

LAUDATIO IN OBITU
LUDOVICI PODOCATHARĪ CYPRĪ
S. R. E. CARDINALIS

EX COD. MS. SAECULI XVI

NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITA

A D. PETRO ALOYSIO GALLETTIO ROMANO

ABBATE FONTIS VIVI

CONGREGATIONIS CASINENSIS.

S

Digitized by Google

MARIO GVARNACCIO
PATRICIO VOLATERRANO
RAPHAELIS MAGNI COMMENDATORIS
S. STEPHANI
ET MARIAE HIERONYMAE BARGAGLIAE
MATRONAE SENENSIS F
CANONICO LATERANENSI
SIGNATVRAE IVSTITIAE VOTANTI
AC DECANO
VIRO
OB SVMMAM VTRIVSQ. IVRIS PRVDENTIAM
IN ROMANA AVLA IAMDIV SPECTATISSIMO
INGENII ACVMINE MVLTIPLICI ERVDITIONE
PLVRIVM LINGVARVM NOTITIA
DOMI FORISQVE CELEBERRIMO
ITALICARVM ORIGINVM
LIBRIS EDITIS DOCTISSIMIS
MVSEO ET BIBLIOTHECA
IN CIVIVM COMMODVM INSTRVCTIS
DE LITTERARIA REPVBLICA ET DE PATRIA
LONGE BENEMERITO
PETRVS ALOYSIVS GALLETTIVS ROMANVS
ABBAS FONTIS VIVI
CONGREGATIONIS CASINENSIS
THOMAE PHAEDRI INGHIRAMI
CIVIS SVI
LATERANENSIS
AC DEIN VATICANAE BASILICAE CANONICI
LVCVLENTISSIMVM OPVSCVLVM
EX CODICE EIVSDEM BIBLIOTHECAE
IN LVCEM EDVCTVM
TYPISQVE PRIMVM TRADITVM
PRAESVLI AMICISSIMO
D. D. D

Digitized by Google

EDITORIS MONITUM.

QVVM ſaecularium Canonicorum Lateranenſium hiſtoriam anno MDCCLXVIIII. *adornarem, nec quidquam induſtriae praetermitterem, ut poſt Allegrinium, qui Thomae Phaedri vitam adcurate deſcripſerat, & illuſtraverat, quae adhuc tanti viri deſiderabantur, detegere, & evulgare poſſem, doctiſſimus, & praeclarus vir* MARIVS GVARNACCIVS, *cuius erga me veterem benevolentiam, ac ſtudium depraedicare ſatis non valeo, codicem chartaceum humaniſſime communicavit, plura ipſius Phaedri complectentem, &, ut characterum forma indicabat, exaratum certe eo ipſo ſaeculo, quo auctor floruit. Priuſquam vero illum ad me tranſmitteret, litteris datis a. d. XI. Kal. Ianuarii labente anno* MDCCLXIX., *haec animadverterat*: Riſpetto poi a Fedra Inghirami, di cui ella mi chiedè qualchecoſa per inſerirla nell'Opera, ch' ella medita, io nel ratificarle, che ho di lui un codice manoſcritto, e inedito, in cui vi ſono varie coſe dello ſteſſo, le aggiungo, che ſono di uno ſcritto vecchio, e cattivo, e a pezzi, coll' inchioſtro talmente conſumato, che la mia viſta non lo ſcorge. Ma queſto non è il tutto. Biſogna, che ſieno ſtate raccolte, e copiate dopo la di lui morte da mano imperita, perchè oltre a qualche picciola lacuna, vi è anche qualche ſcorrezione, che può dirſi errore in Grammatica, e talvolta certamente

non corre il ſenſo. Se V.P. Rma reſta in queſta diſpoſizione di volere inſerire qualcoſa di queſto per altro dottiſſimo uomo, non avrei difficoltà di farle giungere il detto libro originale &c. *Ex hoc itaque Codice laudationem pro Ludovico Podochataro Cyprio diligenter eduxi, opuſculum profecto magni faciendum, utpote praeclariſſimi principis vitam exhibens ab oculato, magnique nominis ſcriptore litteris ita traditam, ut in ea habeas tum docti, piiſſimique Cardinalis, tum Cypri inſulae viciſſitudinum elegantem, delectabilemque picturam. De Phaedro vero, ne actum iterum agere videar, hoc unice praefabor, ipſum Volaterris, quae Etruriae civitas eſt inter Italicas florentiſſima, litteratorumque Virorum ſemper ferax, & altrix, anno circiter* MCCCCLXX. *Paullo Inghiramio, & Lucretia Barlettania parentibus patricii generis ortum, primumque Romae innotuiſſe ex Senecae tragoedia, cui titulus Hippolytus, in qua quum ipſe adoleſcens aetatis annorum ſupra* XIII. *Phaedri perſonam in arce quadam, ut ipſe ait (putaverim turri quadam nunc diruta) ante palatium Raphaelis Riarii Cardinalis Vicecancellarii ſita egregie repraeſentaſſet, Phaedri, vel etiam Phaedrae cognomen, quo ipſe deinceps mirifice delectatus eſt, obtinuit. Anno* MDIII. VII. *Idus Ianuarii, Caſpare Benecario, qui Pantagatus dicebatur, viro in eruditionis cultura nulli ſecundo, Canonico Lateranenſi vita functo, ſacerdotium illud adeptus eſt, quo dimiſſo anno* MDVIII. *inter Vaticanae Baſilicae Canonicos cooptatus eſt. Fuit quinetiam Sacri Collegii a Secretis, & Vaticanae Bibliothecae*

Cu-

Cuſtos, obiit vero Romae anno MDXVI., *pluraque in eius laudem concinnata ſunt ab amicis elogia, quorum in medium proferam ex eodem codice epigramma, quod Phaedri virtutes ob oculos ponit:*

Phaedrus amor patrum, populi ſpes una Quiritum,
Quo duce Roma iterum roſtra ſuperba videt,
Per quem Romanae linguae reparantur honores,
Voceque perdidicit plebs vaga poſſe capi.
Hic iacet exiguo, magnus, ſub marmore, ſed non
Exiguum marmor, quod fuit ille, tegit;
Vivet enim Phaedri nomen, dum Roma manebit,
Dum vox, dum linguae gratia, Phaedrus erit.

De Ludovico Cardinale ait Oldoinus, eum e vita migraſſe Romae, ſeu Mediolani, cum iter ad Regem Hiſpaniarum ageret, teſte Aubery, circa horam XII. *anno* MDIV. *ex Diario, ex Ciacconio ante diem* VIII. *Kal. Sextiles anni* MDVI. *At quum nulla huiuſce legationis mentio in Phaedri ſermone obcurrat, nihilque ipſe de eius morte, quae extra Urbem acciderit, innuat, immo contrarium manifeſte teſtetur, poſtremam nempe aegritudinem contraxiſſe, quum vocatus a Pontifice in Conſiſtorium veniſſet, ſeque ipſum illi aegrotanti adfuiſſe, certum omnino eſt Romae extremum clauſiſſe diem. In Codice Vat. Ms., quem*

Florentes Martinellius (a) *vidit, haec de die, & anno, quo Ludovicus obiit, habentur*: Moritur Romae XXV. Auguſti MDIIII., & ſepelitur in S. Mariae de Populo ſepulcro marmoreo una cum altari conſtructo prope portam ſacrarii, e regione fere Euchariſtiae cum epitaphio. *De Sacello, quod conſtruxerat, veſtigium nunc non exſtat: in pereleganti vero tumulo ad vivum ſuperpoſitum eſt Ludovici ſimulacrum, nobili hac addita inſcriptione:*

LVD. PODOCATHARO . CYPRIO . PRESB. T. S. AGATHAE .
CARD. CAPVTAQVENN (ſic)
PHILOSOPHOR. ILLIVS . TEMPESTATIS . DOCTISS. ET .
ELOQVENTISS. IN . RE
ECCLESIASTICA . GVBERNANDA . MVLTOS . ANNOS .
DIFFICILLIMIS
TEMPORIB. SVMMA . PRVDENTIAE . IVDICII . INTEGRI-
TATIS . LAVDE
VERSATO . EIVSQ. ERGO . AMPLISS. DIGNITATIS . PRAE-
MIA . OPTIMIS
PATRVM . QVIBVSQ. EXPOSTVLANTIB. ADEPTO . DIGNOQ.
OMNIVM
SENTENTIA . MAIORA . ACCIPERE . QVI . MAXIMA . ESSET .
CONSECVTVS
VIX. ANN. LXXV

At Ludovicum mortem obiiſſe potius anno MDV., *ipſe putaverim. Phaedrus enim adſerit, Cardinalem* proximo

(a) *Diaconia S. Agathae in Suburra deſcripta, & illuſtrata pag.* 84.

ximo anno *ante mortem S. Agathae Diaconiam in Suburra inſtauraſſe. Quum vero marmorea de hac inſtauratione nunc deperdita inſcriptio, a Martinellio evulgata* (a) *annum proferat* MDIIII., *neceſſe profecto eſt, ut eius obitum ad inſequentem annum reiiciamus. Sed & argumento haud improbabili Ludovicum fato functum fuiſſe initio anni* MDV. *illud mihi videtur, quod idem Phaedrus in ea innuit oratione, quam Kal. Martii eiuſdem anni de laudibus Petri de Vicentia Epiſcopi Caeſenatis in Aracaelitano templo habuit, quamque in altero huiuſce collectionis volumine producam. Ait quippe in illius Orationis fine, Urbem* proxime amiſiſſe ſanctiſſimum ſenem Cardinalem Caputaquenſem.

Podocathariorum gens in Inſula Cypri florentiſſima fletit ad ſaeculum uſque XVI. *In Opuſculo apud me Ms., cui titulus*: Intrada d' i Cavallieri, & Feudati, & altri Patroni de' Caſali, *exarato anno* MDLVIII. *haec adnotantur*:

Meſſer Filippo Podocataro Cavallier ducati 2500.

Meſſer Ercules Podocataro Cavallier ducati 400.

Madonna Orſa, e Madonna Iſabella Podocataro ſorelle ducati 600.

Verum enim vero capta a Turcis Nicoſia, ac miſere direpta a. d. v. Idus Septembris anno MDLXX., *quum fere viginti millia hominum variis in locis abducta fuerint, Podocatharii, aut plerique ſaltem eorum in ſervitutem redacti ſunt. Proferam hoc loco, ne for-*

(a) *Ibidem pag.* 68.

forte nullum poſthac aptiorem inveniam, quamdam apud me ineditam Petri Podocatharii ad Cardinalem Commendonum epiſtolam (a) *Venetiis datam anno* MDLXXI. *in qua non ſine lacrimis cuique legere erit, quaenam ingentes calamitates proſapiae adeo illuſtri, deque Catholica Fide optime meritae inſteterint.*

All' Illmo, e Rmo Sig.r mio, e Pne Colmo
Il Sig.r Cardinale Commendone
Roma.

Illmo, e Rmo Sig.r mio, e Pne Colmo

LA ſfortunata nobiltà de' Cipri, che pocho fa erano da lei poſſeduti tanti beni della fortuna, che non ſolamente a neſſuna altra portava invidia, ma largamente participava de quelli con qualunque capitava in quel regno. Hora è ridotta a tale che dà eſempio ad altri a quanto ſiamo ſottopoſti in queſta vita, perciochè ella non ſolamente è ſtata ſnidata dalle ſue proprie caſe, toltagli tutte le facoltà, ſparſogli il ſangue, portatigli via i figliuoli, & figliuole in duriſſima & aſpriſſima ſervitù de barbari; ma ſappiamo ancora, ch' ella in Coſtantinopoli ſe ne và morendo per le ſtrade, nè vi è neſſuno, che le porga agiuto. Tutto queſto ſappiamo, & per lettere del Clariſſimo Bailo da Coſtantinopoli, & per bocha

(a) *Autographa habetur in Ms. Codice Ottoboniano Vaticano* 2639. *pag.* 83.

bocha del Sig.r Livio Podocattaro quì venuto per mendicare il riſcatto di ſe, del Sig.r Giovanni ſuo fratello, & d' un ſuo figliuolo, che ſtà in manifeſtiſſimo pericolo d' eſſere aſtretto a rinegare; il quale ci ha affermato coſe, che a raccontarle io non baſto, ſenza gran ſpargimento di lacrime. Ma da queſto che nararò VS. Illma comprenderà il reſto negli altri. Detto S.r Livio era dal ſuo padrone menato in caſa del Bailo per trattar ſeco la ſicurtà per laſſarlo venire in queſte parti a mendicare il ſuo riſcatto, & per la publica via s' incontrò in una ſua cugnata gentildonna nobiliſſima, e moglie già del Sig.r Scipio Podocattaro ſuo fratello, la quale pure allora lì nella ſtrada publicamente haveva parturito un figliuol maſchio, nè raffigurandola lui per la gran transfigurazione di lei, ella lo chiamò per nome, & li chieſe per l' amor de Dio agiuto, il quale ſi riſolveva in qualche ſtrazza, colla quale aveſſe potuto ella le carni coprirſi, che la maggior parte nuda ſi ritrovava, & aveſſe potuto diffendere quella creatura dal fredo, al quale duro ſpettacolo, & miſerabili parole il povero gentiluomo tramortì, & quello che più lo trafiſſe fu il non havere havuto modo di ſovvenirla, anzi fu aſtretto dal padrone, che lo ſollecitava con aſpro ſtimolo d' andare innanzi, & abbandonarla. Da quello dico VS. Illma comprenda la miſeria degli altri, che ſi ritrovano nella medeſima fortuna, che

quelli,

quelli, la quale è duriſſima, & aſpriſſima, & tanto più aſpra & dura, quanto che & di quà non è manco la pocha charità habbiamo ritrovato, che ſia la crudeltà de Turchi, la qual coſa eſſendo così, noi altri, a quali è tocho il ritrovarſi di quà forſe per permiſſion de Dio per ſovvenire a quelli per quanto le noſtre forze ſi ponno eſtendere, ſi ſiamo reſoluti di ricorrere alle elemoſini de particolari, non vi trovando altro ſollevamento a tanta oppreſſione de noſtri, & così ricorſi dal P. Rev.do D. Benedetto, coll' agiuto, & favore di Monſ.ri Rm̃i Nunzio, & Arciveſcovo de Ciprî s' ha meſſo ordine, che lui, & tutti gli altri predicatori ci habbiano a raccomandare agli auditori nelle loro prediche, & che habbino ad eccitare altre pie perſone, le quali habbino ad andare, & per le contrade, & caſe, accatando per il reſcatto de' tanti ſchiavi. Ma perchè è impoſſibile, che queſta proviſione ſia mai ſufficiente a tanto biſogno, ſaria ottima coſa, & grata a Dio, che Sua Santità moſſo a compaſſione a tanto infortunio noſtro voleſſe ancor Lei ſovvenirci non ſolamente colla ſua ſanta mano adiutrice, ma eziandio con qualche altro agiuto ſpirituale, mediante il quale le pie perſone tanto maggiormente ſi moveſſero a fare così ſegnalata elemoſina; & perchè sò quanto l' autorità di VS. Illm̃a vale appo N. S.re, & quanto ella in particolare ha amato la caſa mia & la mia nazione, mi è

parſo

parſo con queſta mia raccomandarle queſto fatto, ſupplicandola, che vogli per ſua bontà rappreſentare le miſerie noſtre a Sua B.ne, & cercare d' impetrarci dalla ſua pietà le ſopradette grazie, certe Sua Santità, e VS. Illma, che reporteranno appo N. S.re Iddio grazie immortali di sì ſanta opera. Son certo, che VS. Illma per ſua naturale, & criſtiana bontà non mancherà di favorirci, & agiutarci in queſto per quanto ſi potrà da lei. Il ſopradetto S.r Livio mi ha dato nova, che un mio nipote figliuolo del S.r Ettore (a) mio fratello ſi trovava

(a) *Antonius Maria Gratianus egregium Opus* de Bello Cyprio *ſcripſit, quod poſt eius mortem fratris filius Carolus Gratianus Romae apud Alexandrum Zanetum anno* MDCXXIV. *in* 4. *vulgavit, Franciſco Cardinali Barberino Urbani VIII. Pont. Max. fratris filio dedicatum. Narrat, quod, Nicoſia expugnata, Muſtapha Famaguſtam acceſſit, ſed quum acriter a Cypriis defenderetur, ſpem pene omittens deditionis oppidi,* Hectorem Podocaterum, & Iohannem Suſominum e Cypriis captivis, qui ſuaderent obſeſſis, ut in eius fidem ſe traderent, cupereque eum civitatis ſaluti conſultum oſtenderent, in oppidum miſit. Haec quoque ſpreta legatio eſt, coacto remanere apud ſe Suſomino, quod munitionum, operumque faciendorum peritus eſſet. Podocaterum, ne in coniugem, filioſque, quos fidei pignus apud hoſtes reliquerat, barbari ſaevirent, triſtem ſine reſponſo remiſere. Et perſtrinxerat animos hominum miſeratio viri inter Cypriam

vava ſchiavo in Coſtantinopoli con grandiſſimo pericolo, che non foſſe fatto rinegare, il perchè io ho dato tutti quei ordini poſſibili, per i quali mi ha parſo col conſiglio del Clar.mo Thiepolo di potere rimediare a tanto male, che ſopraſta a quell' infelice, & in malhora nato putto; mi ha anco detto, che la moglie di mio fratello maggiore, & quella di mio nipote primogenito della caſa ſi ritrovavano ſchiave in Scio ſotto duriſſima ſervitù, & per quelle ancora ho dato quell' ordine, che s' è potuto in queſti tempi. Le anguſtie mie ſono grandiſſime, & inſoportabili, & confeſſo ingenuamente di non eſſere capace di loro. Iddio per ſua miſericordia mi tenghi la ſua mano in capo, perchè io col ſuo agiuto diventi forte per

priam nobilitatem nuper florentiſſimi; venerat enim veſte ſervili, atque ſqualore obſita tectus, aliqua quoque corporis parte nudata, barba, capilloque horridus, moeſtuſque, vulnere etiam in capite vili faſcia, ſordidaque obligato, pallore, macieque ita deformata ſpecie oris, ut vix noſcitaretur ab amicis commemorantibus priſtinam viri fortunam, ac principalem cultum.

Muſtapha redeuntem ad ſe, cum nihil ſibi ab obſeſſis reſponſum eſſe retuliſſet, contumelioſe increpitum in conſpectu exercitus, & captivae coniugis, liberorumque, quos barbari ad ſpectandam necem patris produxerant, interfici, abſciſſo cervicibus capite, imperavit. *Iohannes Suſominus filiam habebat nuptam filio Livii Podocatharii, & ipſam in captivitate detentam.*

per ſopportarle. Son chiaro Monſ.r Illmo, che N.ro Sig.re non abbia mai più a darmi agiuto niſſuno, poichè in queſt' occaſione dell' havere havuto a diſpenſare 30. m. ducati d' entrata, non ſe ne ſia ricordato di me, che ben lo poteva fare ſenza pregiudizio ſegnalato de tanti, che ha beneficati, perchè che ſaria ſtata una penſioncella a me in tanti beni? Con tutto queſto ſupplico VS. Illma, che vogli eſſere contenta, che con qualche bella occaſione mi vogli ricordare a Sua Santità, & narrargli in quanta neceſſità io mi ritrovo inſieme con miei rimaſi mendichi, & ſenza ſoſtentamento alcuno, il che ſe farà io non dubito punto, che l' autorità ſua non ſia per giovarmi appo Sua B.ne più che quella de niſſuno altro, & io di tanto benefizio le reſterò obbligatiſſimo, & perpetuo ſervo. Di novo non ci è altro, che ſi può dire la certezza dell' arrivo del ſoccorſo in Famagoſta, poichè per un naviglio quì giunto ieri, che viene di Candia, s'è inteſo, che le navi partirono a tanti di Gennaro per Famagoſta con buoniſſimo tempo, & che il tempo durò parecchi giorni poi, argomento manifeſtiſſimo di queſta verità. Più oltre dicono, che M.r Marco Querini proveditore con 13. galere era ito verſo Cipri, ancora che per la Città foſſe ſparſo per inanti, ch' egli con quattro ſue galere foſſe da nimici preſo, ma non ſi crede, ſiccome prego Iddio che non vogli tanto male. M.r Sebaſtan Veniero era rimaſo in Candia,

di

di che pare, che molti di nobili non ſiano rimaſi con quella ſodisfazione, ch' erano per inanzi di lui. Si ſtà aſpettando con grandiſſimo deſiderio la benedetta ultima reſoluzione della Lega, per la quale dice il S.r Livio Podocattaro, che in Coſtantinopoli ſi ſtava in grandiſſima tema, & che intendendo, ch' il ſforzo ſuo dovea eſſere tutto per mare, i Turchi ancora facevano grandiſſimo preparamento per mare, ſicchè queſto ſtreppito di Lega finalmente non haverà cauſato altro, che deſtare l' inimico, & farlo più potente a danni noſtri. Iddio ci agiuti, che ne habbiamo biſogno, & per non eſſere più lungo quì col fine humilmente le baſcio le mani. Il Clar.mo Cavalier Thiepolo, & il Clar.mo M.r Bernardo ſuo fratello con tutto affetto di cuore baſciano le mani a VS. Illma.

Di Vinezia il dì IIII. di Marzo MDLXXI.

Di VS. Illma & Rma

Devotiſſimo & obbligatiſſimo Ser.e
Pietro Podocattaro.

T. PHAE-

T. PHAEDRI INGHIRAMII VOLATERRANI

PRO

LVDOVICO PODOCATHARO CYPRIO

PRESBYTERO S. AGATHAE

CARDINALE CAPUTAQUENSI

LAUDATIO.

QUOD ego tantum umquam in me admiſi facinus? aut quodnam ingens concepi ſcelus, Patres ampliſſimi? cum primam operam bonis litteris impendere, ſtudiiſque eloquentiae, ſi qua ea poterat hac noſtra aetate comparari, animum coepi adiicere, ut cum inde gratam mihi fatigato animo ſedem, periculis praeſidium, honoribus adiumenta expoſcerem, omnes in me per hoſce multos annos ex illo fonte dolores redundarint. Nam, ut cetera quaſi minora ſilentio praeteream, taciturnitateque obruam, luctuoſum hoc, funeſtumque officium numquam ad me delatum eſſet, ſi alium vitae curſum inſtituiſſem, quaſi parum ſit meus

hic moeror privatis parietibus cluſus, domeſtici illi gemitus, lacrimaeque media nocte ſponte proſilientes, ni nunc etiam cogerer in tantorum virorum conſpectu meam calamitatem deplorare, ac cicatricem, ſi qua iam forte dolori obduci coeperat, refricare, quae res me tantum de meo ſtatu deturbat, ut pene Neronianum illud exclamem: Quam vellem litteras neſcire! Una tamen res in tantis malis me conſolatur, bonoque animo eſſe iubet, quod cum de *Ludovico Podocatharo* Cyprio Presbytero S. Agathae Cardinale Caputaquenſi verba ſim facturus, nemo veſtrum ſit, qui dolorem meum nimium eſſe putet, qui maximus eſſe debeat, orbato domino beneficentiſſimo, magiſtro vitae expertiſſimo, patre indulgentiſſimo, nec rurſus quiſquam ſit, qui cum illius erga unumquemque veſtrum officium, pietatem, & in omni virtutum genere praeſtantiam perſpexerit, non illius laudes ſitientibus auribus audiat, & res ab illo praeclare geſtas mecum recognoſcat.

Di-

Dicam itaque pauca primum de patria, familia, parentibus, ut intelligatis qualem eum natura gigni voluerit, bonoſque non niſi ex bonis oriri. Mox educationem, diſciplinamque oſtendam, ut pernoſcatis nihil mirum eſſe ad tantum culmen eum perveniſſe, qui tam valida fundamenta ieciſſet. Res poſtremo ab illo praeclare geſtas, conſilium, prudentiam, & in republica adminiſtranda ſummam peritiam ſic commemorabo, ut facile iudicetis, qui demum fructus ex bonis natalibus, optimaque educatione percipiatur. Adeſte igitur animis, Patres, ut enim Q. Metellus ille felix filios celebrare P. Scipionis funus voluit, quod maiorem non eſſent civem viſuri, ſic ego vobis audeo adfirmare non de facili, graviori, meliorique viro parentaturos.

Cyprum inſulam (a), ſcilicet patriam,

 quae

(a) *Cyprus ultima in Aſia minori inſularum Mediterranei maris inter Ciliciam, Syriamque porrecta eſt. Nicoſia regni totius caput, & Podocathariorum patria ab totius inſulae nobilitate incolebatur, quam inde*

quae propter aeris ſalubritatem, agrorum fertilitatem, abundantiam rerum omnium, genuinamque non hominum ſolum, ſed ſoli etiam ipſius hilaritatem, voluptatem, veneremque dicitur genuiſſe, laudent alii a vetuſtate, a copia, ab ubertate, a divitiis, quae in ſe Romanam avaritiam cum diu amiciſſimis eius regibus Ptolemaeis uſi eſſent, allexiſſet: Nos Chriſtiani apud Principes praeſertim noſtrae religionis, nulla maiori commendatione poſſumus honeſtare, quam quod in ea primum Chriſti nomen extra Iudaeam eſt praedicatum, auctore Divo Paullo Apoſtolo (a), qui a Sergio Paullo eius inſulae Proconſule converſo Paulli ſibi nomen pro Saulo, quaſi devicti ſpolium ſumpſiſſe exiſtimatur. Iudaeis eam adtingere capital erat, vel quod Chriſtianae fidei

inde illatum a ſecundo Selimo Turcarum rege bellum anno MDLXX. *univerſam abſumpſit.*

(a) *In deſcriptione huius inſulae ab anonymo Italice exarata anno* MDLXXV. *apud me inedita S. Barnabae Apoſtolo ea tribuitur gloria, quod primus Chriſti Evangelium Cypriis praedicaverit.*

fidei hoſtes iuſto odio proſequerentur, vel ob memoriam cladis, quam ab illis ſub Traiano adceperunt, cum Cypriorum ducenta circiter, ac quadraginta millia illorum conſpiratione ſint caeſa. Tenuerunt eam poſt Graecos tyrannos, poſt Ptolemaeos, ac Romanos, Conſtantinopolitani Imperatores totam in ritus Graecanicos converſam. Euntem ad Hieroſolymas expugnandas Richardum Anglorum Regem tempeſtate actum, cum hoſpitio arenae prohibuiſſent, iratus ille, verſis in eos armis, Graecos eiecit, inſulamque omnem in ſuam poteſtatem redactam, non diu poſtea Guidoni Luſignano (a) e Hieroſolymitano regno

 pulſo

(a) *Guido Luſignanus genere Gallicus. Anonymus meus rem ſic narrat:* Rimaſo Riccardo Rè d'Inghilterra Signore dell'iſola, ſubito poi la vendette alli Cavallieri del Tempio per ducati cento mille, & li dicti Tempieri tennero per circa un'anno il governo dell'iſola con grandiſſima difficoltà. Nel MCXCI. deliberorno di partirſi, & la diedero ſimilmente per ducati cento mille a Guidone de Luſignano, che poco avanti avea perduta la Città di Hieruſalemme. Coſtui fu primo Signor Latino di Cipro.

pulſo tradidit poſſidendam, quorum auſpiciis paullatim Graecos ritus dediſcere, Latiniſque aſſueſcere cum coepiſſent Cyprii nonnulli, ita ea de ritu obſervando controverſia, quaſi de compacto, ſedata eſt, ut nobilitas omnis Latina, plebs vero Graeca, cuique templo gemino Antiſtite praepoſito conferetur, tantaque fide tum Graeci, tum Latini Cyprii perſtiterunt, ut quemadmodum prima Chriſtianam religionem ſuſceperat, ſic nunc ultima ſit Orientem petentibus, quae inter medios hoſtes Catholicam fidem, Romanamque Eccleſiam profiteatur.

Ex ea nobilitate, cum familiae multae percelebres fuerint, Podocatharii tamen & parentum vetuſtate, & clarorum virorum imaginibus (a), magiſtratibuſque egregie geſtis, favore omnium ordinum, & aeſtimatione

(a) *Podocathariorum egregia facinora paſſim narrat Iohannes Franciſcus Lauredanus in* Illoria de' Rè Luſignani *ſub ementito nomine Henrici Giblet Equitis edita Bononiae* 1647. *in* 4.

matione verae bonitatis magnam ſunt laudem, gloriamque longum poſt aevum, quaſi per manus adceptam conſecuti, & ne a gemino, ut aiunt, ovo ordiens veſtra audiendi patientia abutar, Nicolaus *Ludovici* noſtri avus naturae, fortunaeque omnibus bonis inſtructus Iacobo Regi illis ipſis fluctibus, quorum facile ob magnitudinem meminiſtis, iactato, ſic adfuit ſummus conſiliarius, ut adverſam fortunam Rex ipſe ſecundum praepotentem Deum Nicolai conſilio, atque opera ſuperatam fateretur. Quid Iohannes *Ludovici* pater praefectus totius regii fiſci mox ſummis conſiliis adhibitus quam rarum inter homines fidei ſpecimen dedit! Cum enim Ianum (a) Regem captivum, regnum autem ipſum in Saracenorum poteſtate videret, ſupellectile, aedi-

 bus,

(a) *Ita appellatus, quod Genuae natus fuerit, quam noſtra aetas Ianuam vocat. Genuenſes enim, inſula Cypri in poteſtatem redacta, Iacobum Regem cum coniuge aliquamdiu in carcere ſervavere, & Regina praegnans in captivitate peperit filium, quem Ianum vocavere.*

bus, oppidis, quae illi caſalia vocant, venum expoſitis, ingenti vi auri conflata, Saraceniſque perſoluta, Regem in libertatem, regnum autem ipſum Saracenis hoſtibus propugnaculum oppoſitum, & obiectum in Chriſtianorum ditionem vendicavit. Erant autem Podocatharii, ut ſolent ſuis in locis nobiles, ſat clari, verumtamen poſt hanc Iohannis liberalitatem, fidem, pietatem, nihil maius regnum habere, nihil praeſtantius, nihil celebratius, ipſe Rex totum ſe credere Podocathariis, illis honores, illis magiſtratus, illis dignitates deferre, ad illos legationes, ad illos publica quaeque munia demandare. Et erant Iohanni commodum filii aliquot, quorum laudibus (cum vix dum bene pubertatem egreſſi ad rempublicam admoti eſſent) ne magnitudo quidem, & ſplendor patris officere poterat. Hi *Ludovici* fratres erant, quos cum poſſem ſilentio praeterire, Petri me tamen, Hugoniſque praeclara virtus, ut vel ſingula utriuſque exempla referrem, invitavit. Hic crebris

bris legationibus ad pleroſque Pontifices; quique Chriſtiano nomine cenſentur Principes fere omnes obitis, Latinam uxorem ex Montisferrati Regulis (a) Regi ſuo conciliavit, in Cyprumque magno adparatu, ac ſplendide comitatam deduxit, quae ni e medio ſublata fuiſſet, nunc ſtares Cyprus, regumque arx alta maneres. Ille autem, cum in inſulam Sultanus ingenti comparato exercitu impetum facturus adveniſſet, & iam claſſibus plenum ſtaret mare, omnia barbaricis armis circumſonarent, diſſona voce perſtreperent, Regis rogatu, populique precibus in media arma pacificus orator profectus, tantum conſilio, auctoritate, ſumma copia, & ſingulari facultate dicendi apud

(a) *Amedeam nempe Palaeologam Iohannis Iacobi Marchionis Montisferrati filiam, nuptam Iohanni Regi Cypri, quarum nuptiarum ſolemne foedus Hugo Luſignanus Cardinalis a Martino V. creatus, eiuſdemque Regis patruus die* XXV. *Febr.* MCCCCXXXVII. *Ripaliae pepigit. Hic cum ab eodem Eugenio defeciſſet, Baſilaeenſibuſque Patribus turpiter adhaeſiſſet, dignitate, & Praeneſtino Epiſcopatu privatus fuit, deceſſitque in Sabaudia menſe Auguſti* MCCCCXLII.

apud tyrannum valuit, ut quod de Leone Pontifice Maximo fertur apud Attilam, reditum in patriam persuaserit, classem summoverit, impetum fregerit, iugum a patriae cervicibus depulerit, tyrannique avaritiam in summam liberalitatem converterit, ut qui praedam avecturus advenerat, tributum, quod de more illi debebatur, remiserit. Nullum *Ludovici* laudibus locum relinquerem, si parentum, fratrumque laudes prosequi velim, quod si aliam longe seriem virorum materni generis coner attingere, ipse meo destituet dies, & vos vestra spe, qui ad *Ludovicum* me exspectatis, defraudem.

His itaque ortus parentibus *Ludovicus* vix dum annum quintum agens, cum multae virtutis significationes adparerent, a matre Iohanna (a) proba, & antiqui moris femina, fratribusque (nam pater paullo ante vita excesserat) in Italiam litteris mittitur. eru-

(a) *Ex nobilissima inter Cyprios gente Uria; etenim Phaedrus in hac ipsa Oratione meminit* Iacobi Urii *Ludovici avunculi. De Uriis anno* MDLVIII. *nulla mentio.*

erudiendus. Erat Varini (a) Veronenſis fama percelebris, apud eum liberi Principum educabantur, neque enim, qui nunc eorum mentes tenet, litterarum adhuc contemptus invaſerat; ad eum itaque Ferrariam ducitur erudiendus, de cuius ego indole, alacritate, ingenio, quodam ad litteras ardore, quod maius quaero teſtimonium, quam quod rogatus ſaepe Varinus, ut aut in nuptiis, aut in aliis, ut fieri adſolet, celebritatibus aliquem ex diſcipulis habere orationem iuberet, nullum libentius, quam *Ludovi-*

(a) *De Varino, ſeu Guarino Veronenſi, qui natus eſt anno* MCCCLXX., *Graecaſque litteras ab Emanuele Chryſolora didicerat, haec habet Pius II. in Commentariis*: Ad IIII. Kal. Ian. anni MCCCCLX. ab Incarn. Verbi Pio Pontifici obitus nunciatus eſt clari viri Guarini Veronenſis, qui rebus ſuis more chriſtiano rite ordinatis obdormivit in Domino. Flevere docti tranſitum eius, diſcipuli praeſertim, qui ad eum tota Europa confluxere. Latinas etiam, & Graecas Litteras docuit: Libros e Graecis Latinos fecit complures, cuius labore Strabonem legimus; filios reliquit eruditos. Epitaphia eſ multa edita ſunt, nemo ex doctis aetate noſtra melius nomen reliquit; corpus Ferraria ſervat. *Obierat pridie nonas Decembr.*

dovicum ; ita ei celeriter antecellere omnibus ingenii gloria contigit , eligeret ; Quoties eum orantem non vulgus modo imperitum , ſed docti etiam homines & audierunt , & admirati ſunt ; quoties Leonellus ipſe Eſtenſis Ferrarienſium Princeps liberaliſſimus , & quae rara laus eſt , eruditiſſimus audivit benigniſſime , auditum laudavit , laudatum muneribus honeſtavit . Nec de adoleſcente nunc loquor , Patres , aut eo , qui pueritia exceſſiſſet , quales pleroſque & fuiſſe legimus , & videre meminimus , ſed de admodum puero , quae aetas non modo maturos fructus non expoſcit , verum primis erumpentibus floribus contenta eſt , quam rem perſpiciens Varinus invidi eſſe putans tantum ingenium primis rudimentis diutius detinere , ſuaſit adoleſcenti iam facto , ut cum bonarum artium affatim hauſiſſet , philoſophiae animum adiiceret , quae ſola hominem expoliret , extremam manum imponeret , ac virtutis , & bene vivendi in ſe diſciplinam contineret . Paruit

Ludo-

Ludovicus, Pataviumque profectus in Caietani (a) principis eius aetatis philoſophorum contubernium adſcitus, ad ea ſtudia totum ſe cum ſuis copiis contulit, brevique & Academiam illam Patavinam, & Caietanum ipſum, bone Deus quem virum! in ſui admirationem adlexit. Coeperat interim Caietanum ipſum ſatietas interpretandi, atque id etiam aetas in ſenium vergens ſuadebat, parabatque abitum in patriam, nec univerſum Atheneum, nec Veneti ipſi Magiſtratus multis, magniſque pollicitationibus hominem poterant retinere. Tanti tamen apud illum *Ludovici* preces, auctoritaſque valuerunt, ut non reſtiterit ſolum, ſed eiuſdem hortatu, atque ſuaſu laboriosum illud, divinumque opus in metheoram Ariſtotelis confecerit, ac multis dedicationem ambientibus, nemini tamen, quam *Ludovico Podocatharo*, cuius cauſſa negocium

(a) *Caietanus Tienaeus Vicentinus Philoſophiae ordinarius profeſſor ab anno* MCCCCXXX., *ad annum* MCCCCLXV., *quo obiit*.

cium ſumpſiſſet, inſcribere maluerit. Voſmet nunc, Patres, iudicate, qualis, quantuſque fuerit, quem iuvenem, nec adhuc confirmata aetate dignum cenſuerit Caietanus, cui labores ſuos in lucem editurus conſecraret! Profitebatur tunc in illo Muſeo Patavino Matthaeolus Peruſinus (a) Medicus ſumma omnium admiratione, ad quem audiendum cum ſaepe *Ludovicus*, ut fit, acceſſiſſet, libido animum invaſit medicinae perdiſcendae. Non mediocrem ea res quibuſdam admirationem excitabat, quod ſummo

natus

(a) *Matthaeolus de Peruſio inſignis aetatis ſuae Medicus docebat in Patavino gymnaſio an.* MCCCCXLIX. *Eum Peruſini anno* MCCCCLIII. *in patriam primum amplis conditionibus, deinde etiam minis revocarunt, at patrocinio uſus Franciſci Barbari, conſentientibus civibus, in propoſito manſit, uſque ad an.* MCCCCLXXI. *qui fuit extremus vitae. Medicinae Ludovicus operam dedit, ut animum in nobilioribus diſciplinis magis excoleret, non vero ut Medici artem profiteretur. Hinc delendum omnino eſt ex Ughellio in Epiſcopis Caputaquenſibus, quod ipſe Innocentii VIII. Medicus fuerit. Ex bis, quae Phaedrus de Ludovico teſtatur, manifeſtum fit, Ludovicum in aliis vitae inſtitutis ſemper verſatum fuiſſe, ac Mandoſius in Theatro Archiatrorum Pontificum, nihil omnino de Podocatharo innuit.*

natus loco, magnis divitiis adfluens, ea ſtudia adfectaret, quae pro raro nonniſi ad rem quaerendam homines ſectarentur. Rogantibus amicis, licet illum quondam perdiſcendarum diſciplinarum omnium cupido incitaſſet, reſpondiſſe tamen fertur, ut facere ſolitum meminiſtis, facete: Quoniam Cyprii Reges multiplicatis ſummis honoribus, totius regni adminiſtrationem Podocatharorum arbitrio conceſſiſſent, ut haberent quoque, cui corpus ſuum ex eadem familia tuto crederent gubernandum.

Iam vero illud quo poſſum piaculo praeterire, quanta munificentia rector (a) declara-

(a) *Ex Facciolato in Hiſtoria Gymnaſii Patavini habetur, Ludovicum* VII. *Kal. Iunias* MCCCCLX. *rectorem electum fuiſſe. Cum vero Phaedrus teſtetur, Iacobum Urium avunculum primum auctorem ludorum exhibendorum fuiſſe, & quidem iamdiu antea, corrigendus videtur idem Facciolatus, qui ad annum* MCCCCLXXXVIII. *poſtridie Id. Aprilis, cum Ludovicus Zaita Mantuanus rector creatus eſt, ait, quod hic primus, ientaculo iuxta morem non diſtributo*, pro ientaculo ludicrum certamen dederit, quod Haſtiludium vocant, concedente tum primum colle-

claratus ſplendidiſſimos ludos ediderit ; memoria tenebant tunc ſenes, Iacobum Urium *Ludovici* avunculum primum in eo magiſtratu ludorum exhibendorum auctorem fuiſſe ; gaudebant in eo avunculum reſtitutum , atque uno in homine duplex beneficium celebrabant , cumque ſcholaſticorum leges & dubiae multae , antiquatae nonnullae , ac novae quaedam latae eſſent , egerentque emendatore , deque ea re frequenti omnium conventu agitaretur , negocio ad *Ludovicum* omnium ſuffragiis demandato , plauſu , conſenſuque ingenti novas tabulas , quibus ad hunc diem id regitur gymnaſium, promulgavit . Exſtant adhuc de eius laudibus Franciſci Buccharini poetae percelebris carmen feſtivum,concinnum,elegans,& Franciſci Barotii patricii Veneti (a) oratio elegan-

collegio . *Iacobus Urius rector Facciolato eidem ignotus fuit ; meminit tantum* Iohannis Urii Cyprii artium magiſtri *ad annum* MCCCCLXXII.

(a) *Paulli II. ex ſorore nepos , doctiſſimus iuris pontificii profeſſor anno* MCCCCXL. *Anno circiter* MCCCCLXVI. *Romam ſe conferens Datarius primum , ac deinde Tarviſinus Epiſcopus creatus eſt .*

gantiſſime ſcripta, in quibus, ſi qui velint, poſſunt huius tamquam in ſpeculo vitam intueri, quae teſtimonio ſunt cum virturi, doctrinaeque eius, tum omnium in eum ſcholaſticorum ſtudio, ac benevolentiae incredibili. Sed nimis ſentio me evagari, Patres, & in pueritia, adoleſcentia, iuventa recenſenda invito me pluſculum; quod ſi quantum ipſe poſtea virtute crevit, tantum incrementi habitura eſt oratio, in nimis me vaſtum pelagus immitto, neque ullus erit portus, qui me hodie poſſit adcipere; Quem tamen non ad ſe ſpectaculum adlexiſſet prima illa pueritia, & pene infantia non terreri navigatione, non aegre pati a maternis complexibus avelli, patriae deſiderio non angi, ſub ſevero mox magiſtro ſic educari, ut blandimenta omnia negarentur, ioci, quibus pueriles animi capi, tenerique ſolent, interdicerentur, ſolae litterae pro venatu, pro ludis, pro ſpectaculis proponerentur?

Nam quid dicam de Patavino mox

adulti ſtudio, qui ſe totum, poſthabitis omnibus voluptatibus, quibus ea aetas maxime obnoxia eſſe ſolet, contemptiſque illecebris, quarum ea civitas eſt feraciſſima, in Caietani, philoſophiaeque poteſtatem tradiderit, quantamque ea de re benevolentiam, admirationemque excitaverit? Quae res illum una in hanc Urbem cum nihil minus, quam Romam cogitaret, adcivit. Patavio quicumque huc veniebat rogatus, interrogatuſque unicum *Ludovicum* celebrabat. Ebibiſſe illum Varinianam eloquentiam, Caietani doctrinam, Matthaeoli experimenta, neminem per tot annos in eo gymnaſio fuiſſe, qui eloquendi artem cum ratione differendi rerum omnium, & ſtudiorum altrice philoſophia coniunctam habuerit. Ea fama allectus Rodericus Borgia S. R. E. Vicecancellarius, qui poſtea Pontificatum adeptus Alexander VI. eſt cognominatus, ſummus, ut in ceteris multis, ſic etiam miniſtris deligendis vir, cum ſibi a ſecretis adciri per amicos, interpreteſque cura-

curavit. Venerant tunc res Cypriae ad eum casum, unde numquam postea surrexerunt, ejectaque omni illinc nobilitate, patrimonio amissso, captivo fratre uno, profugis ceteris, Patavii substiterat, ibique nullum aliud habens a dolore suffragium suam aetatem in litteris extendebat. Vocatus percupide ad res gerendas accessit, ad quas cum studia ipsa, tum patritii, avitique mores luctabant. Est enim difficile ea studia non sequi nepotes, in quibus parentes floruisse longa memoria celebrentur. Venit itaque, & quia maior inventus, quam de eo fama praecesserat, honorificentissime in summa ministrorum copia, quam Rodericus alebat, suscipitur.

Ne exspectetis, Patres, ut quemadmodum in anteacta vita, sic nunc sigillatim per omnes aetatis, fortunaeque gradus proficiscar. Alius nobis dicendi ordo suscipiendus, velumque vertendum, quod & brevitati studeo, & vestrum nemo est, cui non omnis illius vitae cursus sit percognitus;

Ut primum litteris Apoſtolicis dictandis ſit praepoſitus, mox ad Caputaquenſem promotus Eccleſiam, quot demum annis Summi Pontificis ſecretis praefuerit, ingenium, laborem, fidem ſuam Romanae Eccleſiae promptam, expoſitamque praebuerit, utque poſtremo Alexander Pontifex in negociis gerendis magnitudine animi, ſingulari virtute, ſideque perſpecta in veſtrum ordinem adſciverit. Itaque nihil de harum rerum ſerie dicam, pertranſibo ſingula, omnia praetermittam, dicendique finem faciam, ſimul atque oſtendero, hominem hunc ad ſumma negocia, & rempublicam pertractandam natum, educatum, edoctum, expertumque fuiſſe, neque tam multis annis exſtitiſſe, qui maiori fide, diligentia, integritateque rem ipſam publicam adminiſtrarit, virtutumque omnium quadam quaſi harmonia compactus fuerit. Quod ipſum dum paucis facio, quaeſo, obteſtorque vos, ut quod hactenus feciſtis, nunc me pollicita praeſtantem attente, benigneque audiatis.

Sem-

Semper ego obſervavi, Patres, ad hanc veſtram dignitatem duas omnino eſſe vias, atque aditus, quarum altera brevior, & ad gloriam, claritatemque comparandam accomodatior, tardior altera ſentibus obſita, & ſexcentis diſcriminibus interrupta. Sunt enim nonnulli, quos aequus amavit Iuppiter, qui nullo negocio, nihil tale ſaepe meditantes, tamquam manu arrepti, ſummum in gradum conſtituuntur; at contra quos ardens erexit ad ethera virtus, dum paullatim, & quaſi per gradus aſcendunt, quos aeſtus! quas procellas! in ipſo plerumque aditu patiuntur; ſi tantulum oculos deiecerint, praeſto ſunt inſidiae; ſi ullum locum aperuerint ſuſpicioni, aut crimini, ſtatim vulnus eſt accipiendum modo ab hoc, modo ab illo; nunc hinc, nunc illinc premuntur, nunc faſtidio, ſatietateque reiiciuntur, nunc invidiae ſtimulis, quam, ut ignis ſubito excitatus fumum non facit, ſic ſubita, repentinaque gloria non excitat, agitantur; & quod de Pegaſo dixit Euripi-

des, quanto magis evolare nituntur, tanto cadunt maxime; hinc illae ſunt crebrae rerum mutationes, hinc flatus, reflatuſque fortunae, ut modo hos ſuſpicias elatos, modo deſpectos iacentes, modo reptantes intuearis, ut recto mihi ille iudicio uſus videatur, qui puteo cuipiam comparandam rempublicam cenſuerit, quem in altum, quem temere, ſuopteque impetu inſiliant, aut ſummergant, aut certe delumbent. At qui demiſſum per funem, pneumaticave organa deſcenderint, & ſuas integri res agant, & cum lubeat ex alto ſurſum ad ſummum adſcendant. Hac via iere barbati illi quondam ſenes veſtri ordinis decora, cum agendo, tum conſulendo invicti. Quo enim animi robore fuit Ildebrandus (a), qua magnitudine Raynerius (b), quo conſilio

(a) *Hildebrandus, qui ex Abbate S. Paulli in via Oſtienſi S. R. E. Cardinalis, poſtea Romanus Pontifex creatus, anno* MLXXIII. *Gregorius VII vocatus eſt, eccleſiaſticae libertatis vindex & adſertor ſatis notus.*

(b) *Raynerius Capoccius Viterbienſis ab Innocentio III. creatus Cardinalis, ſacrarum aedium fundator munificentiſſimus.*

ſilio Aegidius (a), quo vigore Vitellenſis (b); qua ſanctitate Capranicenſis (c), qua gravitate Nicenus (d); Ex hoc enim numero, quem patres noſtri viderunt, Iohannes Caravagial (e), divinus ſane homo, exemplum imperii veteris, imago antiquitatis, columen reipublicae Chriſtianae; ex hoc modeſtiſſimus,& continentiſſimus Iacobus Luſitanus (f).

(a) *Aegidius Albernotius a Clemente VI. ad Cardinalatum evectus de Italiae pace, ac libertate optime meritus.*

(b) *Iohannes Vitelleſcus Cornetanus ab Eugenio IV. creatus, tertius a Romulo Romanae Urbis parens.*

(c) *Dominicus e Capranica prope Praeneſtem oriundus, a Martino V. in collegium cooptatus, ſanctis ſemper operibus admirabilis.*

(d) *Beſſarion Trapezuntius Archiepiſcopus Nicenus, Cardinalis ab Eugenio IV. creatus de catholica fide, deque litteraria republica egregie meritus.*

(e) *Iohannes Caravagial Hiſpanus ab Eugenio IV. purpura exornatus in laboribus pro Apoſtolica Sede aſſiduus, & magni conſilii, integritate vitae, ac continentia clariſſimus.*

(f) *Iacobus Luſitanus regia ſtirpe natus, Cardinalis a Calliſto III. renunciatus*, in quo, *ut ait Aeneas Silvius*, ea modeſtia, & gravitas, id acumen ingenii, id ſtudium litterarum, is amor virtutis emicuit, ut quamvis iuvenis,adhuc tardius tamen opinione omnium ad Cardinalatus dignitatem aſcenderit. *Vixit annis XXV. menſ. XI. diebus X.*

Pauci ſunt, Patres, pauci, nam vivos ſua manent iudicia, qui ubi vixerint, ea ipſa dignitate digni iudicentur, quam fuerint conſecuti. Spectentur licet moles marmoreae, inſcripta ſint longa elogia, mendaciaque Cretenſibus vaniora, & inania illa legationum nomina repetita, iacerent tutius ſine nomine, nec riſum legentibus excitarent inter illa clara nomina, quae ſuo ſibi labore, ſtudioque viam ad hoc faſtigium ſtravere. Iure mihi videor poſſe *Ludovicum* conſilio, gravitate, conſtantia, ceteris virtutibus, honoris, ingenii, rerum geſtarum ornamentis praeditum connumerare, qui inductione quadam animi, cum illa habuiſſet incunabula, & rudimenta virtutis, quibus animus ad gloriae cupiditatem aleretur, mox electione, certoque ſtudio, ac diligentia, cum quicquid de rerum publicarum ratione, deque uſu tum a veteribus philoſophis, tum a noſtris ſcriptum eſt, ſententiarum inſuper quamdam firmitatem, magnam copiam exemplorum, litterarum, moni-

monimentorumque ingentem ſupellectilem ſibi comparaſſet, ad rempublicam bene inſtructus, munituſque acceſſit. Magnas habebat clientelas Rodericus; ad illum Hiſpani reges, Hungari, Bohemi, Poloni, Neapolitani negocia deferebant, nihil erat *Ludovico* occultum, conſultationibus omnibus adhibebatur, ad res inſtituendas auctor graviſſimus, ad comparandas miniſter fideliſſimus, ad perficiendas operarius fortiſſimus eligebatur. Hic Pontifices adibat, hic patres inviſebat, cum hoc legati communicabant, cum hoc nuncii conferebant, nihil ardui per omne illud tempus gerebatur, cui aut non praeeſſet *Ludovicus*, aut ſaltem non intereſſet, atque ideo illi tam proclive fuit, ut cum unum inſerviret, tot tamen principum uno tempore etiam diverſa ſentientium gratiam adipiſceretur. Nam Ferdinando illi Neapolitano Regi ſapientiſſimo, quem utinam non ſero cognoviſſemus, ita carus fuit, ut cum ad Caputaquen-

quenſem (a) aſſumptus eſſet Eccleſiam ; Siſto Pontifici gratias egerit , quod tanto Praeſule regnum ſuum honeſtaverit . Quid de ipſo dicam Innocentio VIII. Pont. Max. ? quantopere huius ingenio captus ſit , & vel Roderico invictiſſimo , quamdiu apud ſe habuerit , ac inter ſuos domeſticos numerarit . Nec id ſolus fecit Innocentius ; plerique omnes veſtri ordinis , Patres , etiam quibuſcum intercrant cum Roderico ſimultates, *Ludovicum* amabant , utebantur , & in oculis habebant . Erat temporibus illis Marco Barbo (b) Divi Marci Cardinali illa gravitate , illo conſilio , illa prudentia homini familiaris , amabatur unice a Foſcaro (c), qua gravi-

(a) *Ad Epiſcopatum Caputaquenſem adſumptum fuiſſe teſtatur Ughellius* XVIII. *Kalend. Decemb.* MCCCCLXXXIII.

(b) *Marcus Barbus vir Graecis , Latiniſque litteris doctiſſimus Paulli II. patruelis , a quo ex Epiſcopo Vicentino Cardinalis Presbyter S. Marci creatus eſt , poſtea Patriarcha Aquileienſis , demum anno* MCCCCLXXVIII. *Epiſcopus Praeneſtinus . Obiit Romae an.* MCCCCXC. *d.* XI. *Martii , ut ex eius epitaphio , quod evulgavi .*

(c) *Petrus Foſcarus Patricius Venetus a Paullo II. crea-*

gravitate viro, qua eloquentia, qua dignitate, diligebatur ab Montis Regalis (a), cum Aragonensi (b) vivebat coniunctissime, ab hoc vero nostro, nunc praesenti numine Iulio II. Pont. Max. vestri tunc Senatus ornamento tanto in pretio habebatur, ut & hominis opera magnis in rebus uteretur saepissime, ac si quando de aulicis, patribusque minoribus, ut fit, sermo incidisset, neminem & ingenio, & fide, & dignitate *Ludovico* praeferendum censeret.

Quid dicam de mole Pontificatus summa rerum potito Roderico, inquam, Alexandri nomine adoptato, quam ille suis statim humeris suscepit, tanto viro, cuius animo nihil vidit vastius nostra aetas, satisfecit, & quod

creatus, ut aiunt, in pectore tantum, a Sisto IV. publicatus anno MCCCCLXXVII. *obiit ad balnea Viterbii* XV. *Aug.* MCCCCLXXXV.

(a) *Auxias de Podio Hispanus Cardinalis creatus a Sisto IV. Archiepiscopus Montis Regalis, qui obiit die* VII. *Septembris* MCCCCLXXXIII.

(b) *Iohannes Aragonius Ferdinandi Regis Siciliae filius a Sisto IV. Cardinalis creatus, obiit circa annum* MCCCCLXXXV. *aetatis suae* XXII. *Summa in iuvene principe prudentia eminebat.*

& quod perpaucorum eſt, veſtri ordinis, & aulicorum omnium gratiam, benevolentiamque eſt conſequutus. Atqui facile id fecit ſingulari pudore, ingenioque illo ſuo, ex quo cum tam multa manarent, nihil niſi purum, liquidumque haurires, nihil fictum, nihil fortuna, aut tempore allatum, nihil pretio corruptum, nihil ſpe, aut metu depravatum, nihil a cupiditate aliqua, aut odio profectum, negociis, in quibus verſabatur, dignitatem adtulit, & ſi qua ſuberat improbitas, continentia, fideque texit in magnis malis, & diſcordiis, quae ſi quando illo potiſſimum tempore viguerunt, neminem aut re, aut verbo, aut vultu denique offendit, multos, in quos inclinatio temporis incubuit, officio, opera, conſolatione iuvit, eorum adfines, miniſtroſque ſublevavit, cuius rei quanta ſit laus, quoniam apud homines peritiſſimos dico, pluribus verbis docere non debeo. Numquam enim tanta operae iactura fit, quanta cum doctis docetur. Auditu facilis, natura mitis, vultu hila-

hilaris, reſponſis iucundus, modeſtus vita, nemo humanitatem, nemo conſuetudinem, nemo conſilium, nemo auxilium requirebat in quotidiana illa, aſſidua, urbanaque vita magno ſplendore, magna gratia, magna celebritate domeſtica, doctos ſemper ſua coniunctione digniſſimos iudicabat, eorum amicitiam ultro inibat, dabat ſe in conſuetudinem, ut prorſus una viveret, nec fere ab illis umquam disiungeretur. Quibus virtutibus cum adceſſiſſet perſuadendi opifex eloquentia, quaedamque urbanitas in reſpondendo, & laceſſendo ſalibus ab omni indignitate alienis, quibus magnas ſaepe ſententias refellebat, magnum ſe virum praeſtabat, & admirandum. Nemo erat in ſermone illo quotidiano hilarior, nemo iucundior, nemo copioſior. In ſcribendo autem tantam vim eſt conſecutus, ita docte antiqua pigmenta ad hanc noſtram conſuetudinem, novumque dicendi genus adiunxit, ita cordate pondus, gravitatemque inſeruit, ut omnium iudicio primas ſibi in eo genere vindi-

vindicaverit. Exſtat ab illo ſcriptarum epiſtolarum magnis de rebus ad principes, amicoſque ingens volumen, ubi non modo omnem ſui temporis hiſtoriam animatam, vivam, valentem, cauſſis, conſiliis, rationibuſque refertam, ſed & quaedam vaticinia, praeſagiaque rerum futurarum, ſic licet inſpicere, ut vel hoc argumento manifeſtum ſit illud, numquam eloquentiam a prudentia ſapientia ſeiungi. Ipſe ſtilus non adfectatus, non theatralibus, florentibuſque verbis in corollae ſimilitudinem nexus, nec etiam preſſus, emunctus, gracilis, aut ut lucernam, nimioſque ungues oleret, ſed tamquam lyra quaedam nervis in concentum compactis lenis, moderatus, ſibi reſpondens, vetuſtatis, gratiaeque plenus.

Nihil dico de ſententiarum in Senatu gravitate, libertate, integritate, nihil de ſermonis cura, ut nihil nimis, nihil intempeſtivum, nihil quo, quemque inſciens, imprudenſque offenderet; quod ut ſibi eveniret, Periclem illum ſummum in republica geren-

gerenda virum Deos in primis precari ſolitum adcepimus. Nihil narro de bona fama, qua optima fruebatur, & veriſſima; licet enim indecorum ſit ſapientis vitam ex populi ſermone laudare, quod nulla certe ratione moveatur, populo tamen uti benevolente, beneque loquente non inter poſtremas laudes reponendum exiſtimo. Equidem, Patres, dicam aperte, quod ſentio; veſtri ſaepe me miſeret, & iſtam meo iudicio dignitatem magna plerumque, ſaevaque mercede redimitis, ad quos urbana fex, tamquam ad metam maledictis collimet. Nullum umquam vobis excidit verbum, quod non ſexcenti aucupes cum auritis plagis exceptum per omnia ſtatim compita divulgent. Videte ne? praetereuntes illi coetus populares, illa ſepoſita conciliabula, quae palam vos honorant, adſurgunt, ſalutant, & ſupplici genu venerantur, ſimul atque veſter praeteriit comitatus, bone Deus! quae illi nefanda, quae dira, quae inaudita comminiſcuntur, certant maledictis,

ctis, facta, infectaque commentantur, ut qui ea iacula possit evadere, felicior mihi multo videatur, quam sapientior. Hos morsus in uberrimo questu, in maledicentissima civitate, in suspicionosissimo magistratu positus *Ludovicus* effugit. Qui cum tot annos publicam rem gessisset, cum Oratoribus externorum Principum, versatus esset, provincialium saepe querelas audisset, saepe lacrimas inspexisset, Praetores, qui quasi vicatim ius dicerent, praeposuisset, pulchrum ex tanto hominum numero exsistere neminem, qui hunc optime de republica Christiana, de bonis viris, de litteris, de provincialibus meritum non arbitretur.

Vestro autem ordini quam fuerit probatus, satis intellexit Alexander, cum optimis quibusque vestrum expostulantibus, quod nescio, an cuivis nostris temporibus contigerit, ad istam dignitatem sit assumptus, in qua qualem se gesserit nullos ego locupletiores testes, quam vos appello, Patres. Modestiam illam suam domesticam, sertumque

que virtutum ſuarum fragrantiſſimum in Senatum adtulit, nihil ſibi plus ſumpſit, quam par erat, nullas ſibi partes vindicavit maiores, quam quae eſſent attributae, quod videret illos, qui gloriae, potentiaeque cupiditate ſatiari non poſſent, omnia negotia, omnem Reipubliçae ſtatum in ſe convertere niterentur, ac ad ea, in quibus nec ingenium, nec exercitatio eis ſuppeteret, ſe ipſos ultro exhiberent, eo tandem devenire, ut ipſi ſummo in omnium odio, res autem publica maximo in diſcrimine verſetur. Quid enim ille non intelligeret? quid non iudicaret? quid non provideret? quem natura inſtituiſſet, philoſophia docuiſſet, uſus, experientiaque exercuiſſet, memoria tanta, ut nullum umquam foedus, nulla pactio, nulla conventio, nullae leges pactae, latae, ſancitaeque in Romana Eccleſia cum quibuſvis regibus, populis, nationibuſque eſſent, quas non ille aeque, ac ſuos digitos, teneret.

Iam vero quid dicam de iuſtitia, cum

in Deum, tum in omne genus hominum exhibita? qua enim fuerit religione, fide, pietate, illius ſaepe vita, ſed mors potiſſimum totius vitae arbitra ſanctiſſime, religioſiſſimeque acta demonſtrat. Templa Divae Virginis in Monte Sancto ad Aſculum, Sancti Gemini in Sabinis (a) a fundamentis reſtituit, ornavit, dedicavit; proximo anno Sanctae Agathae ſub Quirinali; Gregorii Pontificis (b) opus mira celeritate, mortem diceres praeſagire, inſtauravit. Non auri faſtidio, quippe qui inops eſſet, ſed ſe ipſum neceſſariis ſaepe rebus defraudans collegis ſuis tantum tribuit, quantum ne ipſi quidem auſi eſſent optare; in ſuffragiis feren-

(a) *De Sancti Gemini Oppido non in Sabinis, ſed in Umbria ſito tum vetuſtate, tum ſacris, profaniſque medii aevi monumentis illuſtri, omnia, quae potui collegi, pleraque humaniſſime communicavit P. Antonius Sangeminianenſis Ordinis Minorum Capuccinorum, vir ſpectatae eruditionis, amoreque in patriam nulli ſecundus.*

(b) *Magnus nempe Gregorius, qui templum hocce ab Arianis pollutum expiavit. De eo eruditum opuſculum Floravantes Martinellius evulgavit Romae typis Ludovici Gragnani 1638. in 8.*

ferendis, ſed illis praeſertim, quibus tamquam gladiis de ſumma rerum certatur, nullis permotus factionibus, nulla ſpe allectus, nulla ſorte corruptus ſenſit cum optimatibus. Innocens ipſe, cum nullum habuiſſet in omni vita inimicum, quos potuit tutatus eſt, rationemque ſummi officii patefecit, multos labentes re familiari pene confracta excepit, corruere non ſivit, reſtituit multos re, fortuna, & fide ſuſtinuit. Cypriam nobilitatem Romae in ſumma inopia profugam, agentem fulſit, iuvit, ſuſtentavit; doctos viros praeſenti ſaepe pecunia donavit; bonos, quos potuit, in lucem, ſplendoremque, quaſi manu adprehenſos deduxit. De me autem vereor, ne arrogantis ſit dicere, ingrati tacere; nam quibus ſtudiis, officiis, laboribuſque magnam ab eo gratiam iniverim, memet ipſum commemorare pergrave eſt, & ſilere tot, tantiſque illius in me beneficiis; quis poſſit pati? Quicquid igitur ab amicitiſſimo, ſtudioſiſſimo, amantiſſimoque homine

mine proficiſci poteſt, ab eo in me ſcitote profectum ; quae poteſt pater filio amoris indicia oſtendere, ea mihi ſunt demonſtrata ; ſi qua fides cuiquam, aut liberto, aut conſultori, aut amico eſt praeſtita, eam mihi ſcitote eſſe exhibitam ; nihil denique ille tam carum habuit, tam iucundum, tam optatum, nihil tam arcanum, abditum, occultum, quod mihi aeque, ac ſibi patere noluerit.

Age vero qua animi fortitudine, quo robore, qua magnitudine ? teſtor ego cineres tuos, Cypre, infelix regnum, quondam nobile domicilium ; nunc vix tutum nautarum diverſorium, quam magno animo tuas tulerit calamitates *Ludovicus* ; non ago iam de matre relicta, non de mari ſuperato, non de duritia magiſtri tollerata, patriam everſam, amminſſum decus, patrimonium ereptum ; nam de illis opibus paternis, quibus regem, regnumque quondam redemptum memoravimus, cum poſtea bis tanto auctae eſſent, ſcitote, Patres,

tres, ne teruncium quidem ad eum deveniſſe; quis lamentantem audivit umquam, quis quaerentem, quis narrantem? Paupertatem, & in ea dignitate graviorem, quam par erat, ſic tolleravit, ſic contempſit, ſic diſſimulavit, ut ſi quis voluerit, aut familiae dignitatem, aut domeſticum ſplendorem aeſtimare, nihil in eo humile, nihil depreſſum, nihil non magnificum agnoſcat; ſi quis autem aut cenſum contra putet, aut hereditatem inaniſſimam inſpiciat, longe miretur, quod non publica ſit pecunia veterum exemplo Valeriorum, Menenioruмque tumulatus.

Quid illud corpus ſuum decrepitum, quot, quantiſque laboribus abiiciebat totos dies, noctis magnam partem legere, dictare, ſcribere, nulla ſenum praerogativa gaudere, nullum munus praetermittere non ſolum fortiter, verum etiam libenter, praeſertim ſi ſuo incommodo aliquid reipublicae commodi accreſcerer, tanta diligentia, ut ſi vulgi iudicio uti velimus, & pri-

mis cauſſis eventus adſcribere hinc illi mortem manaſſe iudicemus. Aegritudinem certum eſt, cum paullulum langueret, vocatuſque a Pontifice in Senatum veniſſet, contraxiſſe. Et quid mirum tam valido illum corpore uſum, cuius ſobrietatem, abſtinentiam, modeſtiamque nemo umquam ſatis poſſit celebrare? De corpore ipſo loquor, Patres, nam animi continentiam, integritatem, abſtinentiam, cuius veſtigia non preſſa, laeſa leviter ad exigui praedicationem temporis, ſed fixa ad memoriam ſempiternam videmus, idcirco ſuis locis non commemoravi, quod nihil Romae tam ſit divulgatum, quam illius mens incorrupta, non ſtentata, non prohibita, ſed, ut verum fateri liceat, in ſumma licentia, ne quid maius dicam, verſata. Dico itaque, Patres, illius longam vitam, ſalubritatemque fere perpetuam eius temperantiae, ſobrietati, continentiaeque a libidinibus adſcribendam. Morbos ipſi nos nobis facimus, & ſi quemadmodum ſolis

ca-

caſum, avium cantus, luporumque obcurſus, ſic aegritudinum ſigna obſervaremus, minus multi in longinqua vita languere-mus, nec tam crebro morerемur. Saepe ego illum narrare memini mihi, cum pranſus apud eum eſſem, homines in voluptatibus expetendis valde errare, nec rectam inſtare viam, quod dum nimiam operam darent voluptatibus, minus caperent voluptatum, facerentque ne utendo, ut nihil uterentur, morbis enim ea de cauſſa erumpentibus earum eripi occaſiones, atque praeverti, & tenui ſaepe de cupiditate magnas voluptates, & honeſtarum actionum, iucundiſſimarumque conſuetudinum poteſtates amitti; quod moderamenti genus cum ſibi adhiberet diligenter, multo cibo non expleretur, a libidinibus abhorreret, crebra, moderataque exercitatione uteretur, nimiis cogitationibus, doloribuſque, quaſi tabo quodam, non exederetur, diutinam ſibi ſalubritatem peperit, ſeque in ea aetate (annum enim quintum, & ſeptuageſimum

agebat) integrum , incorruptum ; validum , minime ſputatorem , ſcreatorem , ſuccidum oculis , membriſque omnibus valentem ſervavit , ut ſi omnia a principio colligas , & ad extremum perducas , natales , educationem , ſtudia , vitae genus , animi , corporiſque virtutes inſpicias , non ſolum ad rempublicam tractandam , adminiſtrandamque , ſed ad regendam quoque idoneum reperias .

Senſit hoc praeſens noſtrum numen Iulius II. , qui eius conſilium , fidem , prudentiam , diligentiamque admiratus his affecit honoribus , quos habuit ampliſſimos , oneraque illa pontificatus grandia in nullam libentius , quam in huius cervicem declinavit ; quae tamquam bos vetus tanto robore ſuſtinebat , ut nullis factionibus , nullorum poteſtate , nullius ſimultate perterritus , rem , dignitatemque Eccleſiaſticam , cui totum ſe , ceteris omnibus poſthabitis cogitationibus , voverat , tueretur ; ſed nihil perpetuum , nihil diuturnum , nihil lon-

longum humana habet conditio ; dum ſuorum laborum ex recta, praeclaraque conſcientia fructum magnum capiebat, dum fama optima fruebatur, multumque erat rei Chriſtianae uſui, & ornamento, amicis autem, boniſque omnibus utilitati, & adiumento, rebus ſuis proſpere, feliciterque, ac e ſententia compoſitis, ceſſit his curis fructum laborum ſuorum, praemia periculorum, virtutumque inſignia, quae illi repoſita erant, abiit adcepturus. Felix patria, parentibus, felix natura, & moribus, felix virtute, felix ſorte ſua, qui campum nactus ſit, ubi virtutem exerceret, felicior tamen morte, ſive animam, ſive corpus ſpectes, cum omni ſolutus cupiditate liber a delictis, omnique mundana faece purgatus exceſſerit, integer ad extremum, mentiſque compos pervenerit, Pontificem nactus ſit beneficentiſſimum, qui illius cogitata, vota, deſideria expleverit; felix ergo ſuis tot bonis, dotibuſque animi, corporis, & fortunae. Nos vero miſeri, & infelices,

& ſi quis uſquam ego omnium quotquot ſunt hominum infeliciſſimus, qui ducem, magiſtrum, moderatorem, patrem amiſerim. Nam quid agam infelix? quo me conferam? quo ibo? quis me excipiet? cuius eſſe dicar? ſub cuius umbra conquieſcam? Hoc ergo erat, ſancte ſenex, quod abs te avelli pernegabas? quod ad te venire cunctantem ſexcentis nunciis evocabas? a diſcumbente oculos non avertebas, tacentem, ut aliquid in medium afferrem, invitabas, abire volentem retinebas, cum ego infelix quodam meo malo fato crebras conventiones renuebam, neſcius, heu! neſcius miſer forem, ut tui brevi videndi poteſtas eriperetur. Data eſt merces ſtultitiae meae ingens, videre te iam non licet, non licet alloqui, non audire, non ſanctos illos tuos mores, non emuſſicarum ingenium, non eloquentiam ſpectare, non denique beneficiis numquam a me efflagitatis, ſed a te ſponte collatis, tuis, inquam, beneficiis non licet ornari, quae in me

quam

quam larga manu contuliſti, locum, quem principes firmatum praeſidiis, atque omni litterarum ratione obvallatum tenebant, reſcidiſti, patereque voluiſti, & ut mei ordinis hominibus fierem invidioſus, feciſti, priuſque ego adcipiendo defeſſus ſum, quam tu largiendo. Pro quibus ego ingratus cum nihil haberem, quod reponerem, invida mors dirum, ſaevumque grati animi genus excogitavit, adfui aegrotanti, quae habui ſolatia, praeſtiti languenti, morientem denique, cum me ille flentem intuens interruptis, ac morientibus vocibus conſolaretur, tenui his ulnis, & ab exhalante ſpiritu ſemianimis pependi, atque utinam ſuo prodeunti meum infundere potuiſſem, ut mihi mortuus, ſibi vivus remanſiſſem. Beatos illos populos, ſanctas leges, optimam conſuetudinem, ubi cariſſimus quiſque cum defuncto tumulatur, ſi hic apud nos mos eſſet, iiſſem ego tecum, Pater, eodem iacerem tumulo, iuvaretque coniunctis cadaveribus ſepultos eſſe, neque nunc tibi inanes

nes has, ſed ſponte fluentes lacrimas funderem. Non licuit more, negatum eſt lege, non poteſt religione, at licebit hoc certe, potero hoc, non negabitur, non prohibebor, ut quamdiu vivam, erit autem, ut ſpero, pauxillulum, quin & cum me eſſe deſierim, monimentis, ſi qua praeſtabunt, litterarum ſquallore, lacrimis quotidianis, adſiduis laudationibus deſiderium tui nominis, & rerum geſtarum memoriam uſurpari compellam. Tuae ſemper ſim teſtis virtutis, admirator ingenii, praedicator ſapientiae; tuorum in me beneficiorum adſiduus praeco, ut de me ſibi exemplum capturi ſint, qui magnis, ingentibuſque beneficiis erunt honeſtati, ſciantque nullum eſſe grati animi maius indidium, quam adceptorum beneficiorum memoria ſempiterna. ABITE (a).

(a) *Ciacconius, nec non Ughellius, aliique inter Beneventanos Archiepiſcopos Ludovicum noſtrum recenſent. Adſerunt ſiquidem poſt obitum Laurentii Cybo Cardinalis ad Cathedram illam a Iulio II. promo-*

dromotum fuiſſe. Clariſſimus vir Philippus Bonamicius Lucenſis Sanctiſſimi Domini noſtri a Latinis Epiſtolis in eleganti, eruditoque libro de Claris Pontificiarum Epiſtolarum Scriptoribus Romae recuſo anno 1770., *ait Ludovicum Archiepiſcopatu Beneventano ornatum fuiſſe, quam Sedem numquam adiit, quod Romae Signaturae Brevium praeeſſet. At mihi ſuſpecta haec omnia ſunt. Mirabitur quiſque iure optimo in ſepulcrali lapide Podocathariī eum* Caputaquenſem *dici, non* Beneventanum; *immo Phaedrum ne verbum quidem de tanto honoris incremento in luculenta adeo oratione pronunciaſſe, praeſertim cum totus ſit in Iulii Pontificis erga Ludovicum benevolentia, ac voluntate praedicanda. Ughellius vel in temporis nota aperte fallitur: ait enim Iulium II. ad Beneventanam Eccleſiam eum adſumpſiſſe die* XX. *Ian. anno* MDIII., *idque impoſſibile omnino ex eo adparet, quod Iulius die* 1. *Novembris eiuſdem anni ad Apoſtolatus apicem evectus eſt.*

CAMIL

Digitized by Google

CAMILLI PALAEOTI
SENATORIS BONONIENSIS
EPISTOLAE VIII
EX CODICE VATICANO
QUIBUS ACCEDIT UNICA
CARDINALIS GABRIELIS FRATRIS.

DOCTISSIMO AMICISSIMOQVE VIRO

CAIETANO MONTI

BONONIENSI

I. L. B.

CVR tibi, *Monti* Cariſſime, novam hanc Epiſtolarum ſyllogem, quamquam tenuem, dicatam velim, paucis accipe. Anecdota vel Eccleſiaſtica, vel Litteraria, quae in Bibliothecis praecipue Romanis latent, Cl. Ioh. Chriſtophorus Amadutius, & ego variis voluminibus comprehenſa publici iuris facere, ſingulaque amicis noſtris, vel fautoribus dicare decrevimus. Vides igitur, quod iure primum amicitiae opuſculum hoc ad te pertinere debebat; antiquam enim noſtram neceſſitudinem, familiaritatemque neque temporum longinquitas, neque magna locorum, regionumque diſtantia non tantum delere, ſed nec etiam imminuere valuerunt. Adde, quod cum hic agatur de Epiſtolis doctiſſimi civis Bononienſis Camilli Palaeoti, iure etiam patrio ad te quaſi, tamquam ad dominum, clamabat ſylloges mea. Quod tuum igitur eſt, benigne, amiceque accipe, *Monti* mi, meque cum munuſculo meo, ut ſoles, amare perge. Supervacuum eſſet tibi rerum patriarum peritiſſimo plura de Camillo Palaeoto praefari. Notum enim eſt, Camillum nobiliſſimae familiae germen fuiſſe, & non tantum Senatorem, ſed Gabrielis Cardinalis ampliſſimi fratrem. Ad Romanos Pontifices Gregorium XIII., Sixtumque V., pluries pro patria

Legatus, alias etiam dignitates prudentiſſime domi, foriſque ſuſtinuit. Verum haec omnia multis Bononienſibus Senatoribus communia. Quod non commune eſt, fautor fuit Camillus opibus, quibus abundabat, doctrina, & conſilio civibus ſuis, qui litteris ſedulo, ac Philoſophiae operam navabant, atque ipſis amicitia coniunctiſſimus. Unum inter alios tibi indicabo Ulyſſem Aldrovandum Bononienſium omnium eruditorum facile principem, atque exterorum magiſtrum, cuius mehercule ſumptuoſa, difficiliaque ſtudia non parum Camillus immortali gloria liberaliſſime adiuvare voluit. De Palaeoto noſtro loquuti ſunt Lilius Greg. Gyraldus in primo de Poetis ſuorum temporum dialogo, & Baronius ad annum Chr. CCLXX. §. XIV. Inter Epiſtolas Bartholomaei Ricci, & Aldi Manutii Paulli F. aliquas ad Camillum, vel de ipſo egregie loquentes invenies. Ad iſtarum vero nonnullas, quas nunc primum ex Codice Ms. Vaticano typis mandamus, reſponſa invenies inter Epiſtolas Paulli Manutii, quod ſingillatim in margine paginarum indicabo. Camilli enim amiciſſimus fuit Paullus, quod magnopere ad ipſius laudem convenire credo. Unam ulterius ex eodem Codice addere volebam, attamen cum impreſſam deprehenderim inter Epiſtolas Clarorum Virorum ſelectas, Venetiis cuſas ann. CIↃIↃLXVIII., conſulto omiſi. Huius loco aliam leges Gabrielis Palaeoti Cardinalis piiſſimam Epiſtolam, quae caſu ad manus erat. Indignum *enim duxi, ut inquit Horatius noſter,*

Fraternum rumpere foedus.

Vale.

Romae Idibus Maiis CIↃIↃCCLXXIII.

CAMIL-

CAMILLI PALAEOTI SENATORIS BONONIENSIS *EPISTOLAE*

EPISTOLA I.

PAULLO MANUTIO SALUTEM (*a*).

DIscruciabar de Amulio Cardinali; fama enim percrebuerat eum e vita decessisse, cum ecce afferuntur litterae, quae nos bono animo esse iubent, & gravique eum valetudine emersisse, salvumque, ac incolumem nuntiant. Oh praeclarum nuntium, qui tantam nobis ademit tristitiam! Dici vix potest, ac ne vix quidem, quanto ego tum tua, tum mea, tum Reipublicae maxime caussa in moerore versarer; nam profecto eius caussa, qui cum recte semper, ac temperanter vixisset, veraeque, ac solidae virtutis tantam adeptus esset laudem,

(a) *Ex Codice Vaticano num.* 3434. *fol.* 26.

dem, ex hoc veluti tempeſtuoſo mari ad tranquilliſſimum portum commeaſſe certo exiſtimandus erat, minime dolendum eſſe cenſebam. Verum cum recordarer, quam arcta tibi cum illo intercederet familiaritas, quam benigne me quoque in eiuſdem amicitiam inſinuaſſes, ac quantum ille pro republica ſtudii, ac laboris ſuſcipere, boniſque omnibus viris operam ſuam libenter praeſtare ſolitus eſſet, facere non poteram, quin eius interitum acerbiſſime ferrem, ac talem iacturam non ad nos ipſos tantum, ſed ad communem quoque rempublicam valde pertinere interpretarer. Quod ſane malum cum Deus Optimus Maximus divina ſua providentia averterit, a tantoque luctu nos omnino liberaverit, & bene cuivis cunctis de rebus eſt ſperandum, & nobis ipſis etiam, atque etiam gratulari debemus. Volui igitur hanc meam animi commotionem, ac, ut ita dicam, deiectionem his litteris tibi ſignificare, non ſolum ut uberiorem laetitiae fructum ipſe perciperem, verum

verum etiam ut plane intelligeres meas omnes cogitationes, voluntates, ſenſus tecum eſſe maxime coniunctos. Ac tibi quidem velim omnino perſuadeas, me de te dies, ac noctes cogitare, ac tecum quam ſaepiſſime eſſe, quamvis tam longe abſim, tibique omnia quam iucundiſſima, ac ſecundiſſima ex animo exoptare. Quod ſupereſt, illud eſt, ut ipſi Cardinali utriuſque noſtrum patrono ſalutem meo nomine dicas, atque de recuperata valetudine etiam gratuleris; nam ut me in eadem apud eum, in qua conſtituiſti, gratia retineres, ſi abs te magnopere flagitarem, aut de tua erga me voluntate, quod numquam dubitavi, aut de conſtantia diffidere viderer. Scias tamen velim, illud omnium mihi gratiſſimum futurum. Vale Bononia VIII. Calendas Martii MDLVII.

Tuus Camillus Palaeotus.

EPISTOLA II.

PAULLO MANUTIO SALUTEM (a).

COmmodum ad te dederam litteras, cum Sigonius ad me venit, nuntiavitque tuo nomine, te Aldum tuum nobili Puellae deſpondiſſe, idque feliciter admodum, & ex animi tui ſententia prorſus accidiſſe; nam, ut reliqua ſint maxime opportuna, te ingentem ex ea re dotem pro filio eſſe conſecuturum. Plurimum ſane, ut debui, laetatus ſum, ac utrumque tibi vere, & ex animo gratulor, tum quod per eum tuam ſobolem propagatam iri nunc iam augurari licet, tum quod fortunas tuas non mediocriter auctas eſſe intelligo. Quod vero me tam amanter, ac benevole de ea re commonefieri volueris, facile declaraſti non te latere id, quod revera ita eſt, meos ſcilicet animi ſenſus cum tuis eſſe quammaxime coniunctos, meque de ſecundis

 rebus

(a) *Ex Codice Vaticano num.*3435. *fol.*22.

rebus tuis eamdem, ac de meis ipſis, voluptatem eſſe capturum, quod proprium verae munus amicitiae ſemper duxi. Vale, ac me, ut ſoles, ama. Quinto Idus Decembris MDLXIV. Bononiae.

Tuus Camillus Palaeotus.

EPISTOLA III.

PAULLO MANUTIO SALUTEM (a).

DEcreveram ſuaviſſimis, atque elegantiſſimis tuis litteris nihil prorſus reſpondere, non quod ex illis quantam maxime poruerim voluptatem non perceperim; (quid enim abs te non elaboratum, non omnibus numeris abſolutum, non mihi denique cariſſimum proficiſci poteſt?) ſed cum te ſemper officioſiſſimum cognoverim, videremque meas litteras, quamvis futiles, ac inanes, abſque reſponſione te nequaquam ſolere dimittere, nolebam tibi in cauſſa eſſe, ut ſi qua temporis uſura com-

 modius

(a) *Ex Codice Vaticano num.3434. fol.27.*

modius aliis rebus agendis frui posses, eam tibi mearum litterarum lectio auferret. Verum id meum consilium interrupit Franciscus Caburatius, qui tibi has litteras afferet, de quo pauca omnino ad te scribere nunc sum coactus. Is per multos annos apud me fuit, meque unice coluit, atque observavit, maximos quoque in litterarum studiis suscepit labores, in quibus ita semper est versatus, ut cum arcanam Philosophiae scientiam plurimum adamarit, eloquentiae tamen laudem numquam contempserit, & quod omnium caput est, adeo probitate, ac vera pietate praestat, ut si cetera omnia ei deessent, hac una morum castitate, vitaeque innocentia mirifice esset commendandus, aliis vero etiam virtutibus additis, quae perraro in hominibus solent inesse, quaeso quid illo amabilius esse potest? Certe is ita mihi ad unguem natus, & factus semper visus est, ut inter eos recenseri possit, quales tu maxime probare soles. Nunc igitur istuc cum Narniensi Episco-

Epiſcopo veniens me rogavit, ut ſe in tuam per meas litteras familiaritatem inſinuarem. Sciebat enim, qui inter nos eſſemus, nec te quoque ignorabat, cuius ſcripta de manibus numquam ponere ſolebat, ad haec non mediocriter hominem incendit aſſidua mea de humanitate, ac ſingulari tua virtute praedicatio, quo ſane eſt factum, ut tuam amicitiam urbanis opibus, atque honoribus praeferendam duxerit, ſibique facile perſuaſerit beatum ſe fore, ſi tua interdum conſuetudine frui poſſet. Ego vero, qui illum ſemper plurimum dilexi, teque eiuſmodi virorum amantiſſimum cognovi, non putavi mihi vitio tribuendum eſſe, ſi hanc nactus occaſionem de eadem, quod aiunt, fidelia duos parietes dealbarem. Quare illud tantum nunc cupio, ut per haſce meas illi, quod nemini ſoles negare, ad te aditus patefiat. Cetera, quae is maxime expetit, minime vereor, quin ipſe ex ſe facile ſit conſecuturus. Novi enim animi tui ſenſus, novi, quorum hominum

genus

genus ultro amplexari, ac fovere ſoleas. Equidem nihil tibi oneris impono, nihil mutuor, nihil mea cauſſa poſtulo, tantum quaero, ut cum tibi has litteras afferet, eum penitus cognitum habere velis. Quod ſi effeceris, facile futurum ſpero, ut veſtrum uterque cumulatiſſimas mihi gratias ſit actu-rus, tu quod hominem amicitia tua digniſſimum tibi adiunxerim, ille quod per meam commendationem voti ſui compos fuerit factus. Habes huius Epiſtolae longioris etiam, quam initio duxi, cauſſam. Sed heus tu, quid hoc monſtri audio? Aldum Bononiae eſſe, apud me non eſſe, & tu haec pateris? Dum haec mihi de eo nuntiantur, protinus ad eum perquirendum mitto, is ſtatim ad me, percontari ex eo coepi, cur ad me recta non divertiſſet, reſpondit, ſe neſcio cuius amicitia coactum illuc commeaſſe, an ulla, inquam, poteſt eſſe noſtra arctior, aut etiam vetuſtior? Se hoſpitio meo ſemper ſeque ac tua domo dixit uſurum, ergo, inquam, nunc apud

me mane. Tum excuſare ſe coepit itineris feſtinatione, atque hic pauca tantummodo horarum eſſe, dimiſi non magis tibi, quam illi ſubiratus. Non ita multo poſt ad me rediit cum Sponſae ſuae fratre, ego protinus exclamare coepi, quod tam inſignem tibi, ac mihi feciſſent iniuriam. Quid quaeris? Expoſtulando hoſpites excepi, tandemque vix impetrare potui, ut tantiſper manerent, dum prandium eis praeberem. Poſt haec ſerio ſumus de graviſſimis rebus locuti, de te vero plurimum, quarum rerum ſummam, quoniam ad te iam a Lombardino perſcriptum fuiſſe confido, his ergo litteris non adſcribam. Vale Bononia Idibus Februarii MDLXV.

Tuus Camillus Palaeotus.

EPI-

EPISTOLA IV.

PAULLO MANUTIO SALUTEM (a).

OH gratas mihi tuas litteras, oh factum bene de discessu! Tu velim existimes me virum bonum, idest tua amicitia dignum, neque vel leviſſimis in rebus ſolere mentiri, mihique affirmanti credas, nihil hisce tuis litteris esse potuisse iucundius, quas ut primum accepi, quod hominem, qui mihi illas reddidit, neque signum agnoscerem, addubitavi, a quonam missae essent: iis autem apertis, ut mihi se tuum nomen obtulit, bone Deus! quanta sese animus laetitia perfundi sensit. Ad extremum autem alterius paginae versiculum statim me convertens, ut quo die scripta essent, intelligerem (nam de loco haud quidquam mihi in mentem venerat suspicari) ubi Venetias pro Roma offendo, incredibili plane exsulto gaudio, tum epistolam totam

(a) *Ex Codice Vaticano num.3435. fol.17.*

totam perlego, nec ſemel legiſſe contentus eamdem ſaepius, me ipſum ſummopere oblectans, repeto: omnia prorſus, ut volebam, te ſcilicet primum, de quo non parum equidem eram ſollicitus, valere: hoc quanti? Romanis deinde ſolutum curis, ac tamquam ergaſtulo liberatum, ad tuas delitias, ad tuam vitam, ad tua recolenda ſtudia rediiſſe, atque in tuorum domeſticorum ſinu hilariter vivere, idque aequiſſima Summi Pontificis voluntate tibi licere. Quid amplius erat expetendum? unum illud quidem tantummodo, tuus in ipſo reditu mihi exoptatiſſimus conſpectus, vel potius complexus, quod mature ipſe repraeſentaſti, te totum namque in iis vidi litteris, quibus ſane nihil ſuavius, nihil uberius, nihil elegantius excogitari poteſt. Ego vero tanti tuum facio iudicium, ut paucos omnino tibi comparandos, neminem anteponendum cenſeam, ſed, ut ingenue fatear, opinionem meam hoc tempore viciſti. An opinarer ego, te ad urbem Senatus, Populique Romani, ac

Prin-

Principis ipſius conſilio evocatum, tantis deinde praemiis retentum, apud clariſſimos Viros, ipſumque Summum Pontificem gratioſum, ea denique iam aut aſſecutum, aut iure ſperantem, quae ut adipiſcantur homines, nulli parcunt labori, ac pene inſanire ſolent, in minimis habiturum, ut ad privatam vitam intra tuos lares agendam Venetias remigrares? Audieram equidem multos praeclare de his rebus ſentientes, rectequе ſuadentes, ſed verbis potius, quam re ipſa ſapientes cognoram. Videram quoque plures aetate noſtra haec eadem accurate diſputantes, oleraque, & rapas divitum menſis anteponentes, eoſdem tamen mox turpi ambitione captos, ac rerum aulicarum faſtu delinitos, tamquam Circeo poculo immutatos, longe aliam quidem, ac praedicaſſent, viam inſiſtere, e quorum ſane numero licet te tanti nominis virum eximere non auſus eſſem, nullam tamen tibi propterea fieri putabam iniuriam, cum ampliſſimorum hominum coetu circumſeptus eſſes.

eſſes, quos minime quidem repraehendendos duco, cum ſint ſingularibus ornati virtutibus, ſed de honore, ac gloria ſe admodum eſſe ſollicitos fateantur, neceſſe eſt. Tu vero tantum nunc praeclaro iſto tuo facto ceteris anteire voluiſti, quantum doctrina praeſtas, neque commiſiſti, ut apud te inania eſſent illa praecepta, quae ex optimis ſtudiis, uberrimiſque Philoſophiae fontibus tot annos ſumma cum tua laude hauſiſti. Quare ſummopere quidem laetor, quod noſtris temporibus inter loci, ordiniſque tui homines Romae primus, ut equidem ſentio, maximis commodis, atque honoribus non oblatis ſolum, ſed iam tributis veram animi tranquillitatem praepoſueris, fucataмque gratiam, atque inanem fortunae ſplendorem ſolidae virtuti longe inferiorem eſſe, vere duxeris, quo etiam nomine mihi quoque ipſe haud mediocriter gratulandum cenſeo, non ſolum pro eo, quod locorum iam tanto intervallo haud ſis diſiunctus, ut te quandoque aut ad nos venturum,

turum, aut me ad te permeaturum esse facile sperare possim, sed etiam quod eadem fere sit utriusque nostrum sententia; honestum enim otium turbulento negotio praeferendum semper existimavi, quodque iam tu re ipsa praestitisti, ego voluntate tantum emetior, utque tu, relicta iam urbe, Venetias, tamquam optatissimum portum, nactus fuisti, sic ego multam Foro, ac Curiae salutem dicere cupio, in Villulamque meam cogito. In eo vero, ni fallor, tantum sumus dispares, quod tu per litterarum studia gloriam a maioribus tuis partam etiam, atque etiam amplificare contendis, ego, cum illa nequeam latens vivere, non abnuo, nec plausus hominum ulla in parte attendo, & cum ipse viventium, & posterorum etiam utilitati prolixe consulere contendas, sat mihi futurum esse statuo, si, quod facillime (Deo bene iuvante) quivis potest, ab omni crimine abero, mihique ipse, quantum par est, prodesse conabor; non parum enim mihi illorum semper arrisit sententia, qui

qui virtutis vim ita explicant, ut in fugiendo vitio potiſſimum illam ſtatuant. Equidem ut animi mei imbecillitatem nunc tibi patefaciam, perſaepe illud mihi uſu evenire ſolet, ut in civilibus cum verſor negotiis, tamquam fluctibus me a quamplurimis rebus, veluti marinis belluis, quae in caput tantummodo meum coniuraſſe videntur, interdum circumvallari, ac pene obrui ſentiam, neque fortiter, ac ſtrenue, uti opus eſt, iis obſiſtere valeam, a quibus ſane malis tandem emergere mihi videor, cum in meam Villulam per aliquot horas (totos namque dies quominus meo degam arbitratu, quotidianae hactenus impediunt curae) ſecedere licet, neque tum inani, aut inſolenti ullo animi motu efferor, non theſauris, aut potentiae inhio, nec de ullo hominum genere quidquam detraho, parce vivo, nemini iraſcor, nullo torqueor livore, neque ulla corporis, aut animi turpitudine me coinquino, neque tamen nihil mihi agere videor, cum de me ipſo cogito,

aut etiam lucubrationum tuarum interdum aliquid lego. Quod ſi heroica illa fortitudo in obiectando ſe temere periculis minime conſiſtit, ſed in iis potius evitandis ſapienter, quis eſt, qui ſecuriſſimam hanc vitam, illi alteri maxime fluctuanti, ac turbulentae audeat poſtponere, ac non malit in ſecundiſſima aura tutiſſimum tenere iter, quam per ſcopulos inter ſumma ventorum diſcrimina vela dare? Quare cum utrique noſtrum idem fere vivendi conſilium fuerit propoſitum, non poſſum equidem, non ſummopere te laudare, qui cum poſteaquam utramque vitae rationem fueris expertus, in ea, quae optima, atque omnium feliciſſima eſt, tandem confederis: equidem mihi ut idem quandoque liceat, optare numquam deſinam. Immortales itaque ſunt nobis Deo Optimo Maximo habendae gratiae, quod cum illud tantummodo ex animo precati fuiſſemus, ut priſtinae tuae valetudini reſtituereris, tanta deinde pro eius benignitate fuerimus commoda conſecuti,

quan-

quanta optare antea vix auſi eſſemus, quae ſane ſunt eiuſmodi, ut ſine illis bona ipſa valetudo vix ſapienti homini optanda eſſet, cum illis vero coniuncta beatam prorſus vitam reddat. Et quoniam in lucro ponis, quod maiorem nunc ex recuperata libertate percipias voluptatem, quam ſi eamdem numquam amiſiſſes, ut idem quoque de tui ingenii fructibus nobis dicere liceat, curare debebis, Muſiſque parare, ut operas omnino reddas, valetudini autem in primis inſervias, cui ſi expedire quandoque putaveris, ut a rumoribus de Turcico bello, ac rebus, ut fiunt, tam infeliciter geſtis aliquantulum te ſubtrahas, & quemadmodum nuper Urbis, ſic Venetorum etiam civium celebritatem evitandam iudicaveris, ad eamdem Villulam tui ſane cupidiſſimam te invito, ubi adverſi nihil, ac ne Turcarum quidem nomen auditur. In ea autem cum haec fuerint ſcripta, ſi prolixiora, & incultiora tibi videbuntur, minime mirari debebis, cum locus ipſe ornamenta omnia

negligat, & ut interpellatores vehementer odit, sic tui similes viros arcte complecti, ac diu libentissime detinere soleat. Vale sexto Calendas Decembris MDLXX. Bononia. (a)

Tuus Camillus Palaeotus.

EPISTOLA V.

PAULLO MANUTIO SALUTEM (b).

QUid de tuis ad me litteris suspicare, non amabiles, non gratas, non iucundissimis quibusque rebus mihi esse cariores? Serius equidem, quam debueram, epistolae tuae fortasse respondi, sed quid faciam? cum negotiorum quasi aestu tam vehementer iacter, & obruar, ut vix respirandi tempus interdum relinquatur; inertiae quidem nullus locus esse potest, ubi voluptas maxima. Tu vero cur mecum alia,

(a) *Palaeotus respondet Manutii epist. 7. lib. x., & dein huic respondet Manutius epist. 8. lib. x.*

(b) *Ex Codice Vaticano num. 3435. fol. 9.*

alia, quam latina, ideſt tua lingua uteris? num fortaſſe de hac mea tarditate ſuccenſes? at eius vitium ego longitudine litterarum compenſavi, daboque operam, ne poſthac iure conqueri poſſis, noctiumque utar ſubſidio, uti nunc; haec enim ante lucem ſcripſi. Villula noſtra, poſtquam iſtic es, mercaturam facere inſtituit, olearumque, quas eius agellus parit, fructus ad te mittit, ut aliquos ex iis, qui domi tuae naſcuntur, aſſequatur. Noli, quaeſo, munuſculi parvitatem aſpernari, puſilla namque cum ſit, maiora nequit. Tibi vero, cui facultas eſt maxima in referenda gratia, Villarum, quae agros uberrimos habent, natura eſt imitanda, quae multo plus reddere ſolent, quam acceperunt. Quod ſi ad hanc noſtram quandoque veniendum eſſe tibi in animum induxeris, minime vereor, quin ex tuis ingentibus opibus ad meas tenuiſſimas emolumenti plurimum afferatur, hilaritate quidem multa, & congreſſus ſuavitate praeſentium temporum triſtitiam re-

levabimus. Vale Bononia VII. Idus Decembris MDLXX. (a)

Tuus Camillus Palaeotus.

EPISTOLA VI.

PAULLO MANUTIO SALUTEM (b).

VEtus eſt illud, Amicorum omnia communia; quod ſane non tantum ad res ipſas, quam ad animum pertinere, ſemper equidem duxi. Lactandum igitur cum amicis de ſecundis rebus, quae tum ad ſe, tum ad illos valde pertineant. Tali itaque ductus opinione haec nunc ad te ſcribenda putavi, ut cum primas in amore obtineas partes, primus quoque praeſentis meae laetitiae particeps fieres. Filiolam optimis praeditam moribus, pietateque inſignem, nec latinis litteris, ac, ſi placet, etiam Graecis rudem, ut Pompilii Amaſaei noſtri diſcipulam eam poſſis agnoſcere, quam

(a) *Huic reſpondet Manutius epiſt.* 9. *lib.* X.

(b) *Ex Codice Vaticano num.* 3434. *fol.* 80.

quam olim, ſi memoria tenes, quoque vidiſti, Paridi Craſſo Cardinalis fratri deſpondi. Quam rem Deum Optimum Maximum ſecundare maxime cupio, ac ſpero. Habes cauſſam huius meae ad te mittendae epiſtolae; illud addo, ut quemadmodum ego te, ſic me ipſe mutuo diligas, ac fac, ut valeas. Bononia Pridie Idus Martii MDLXXI. (*a*)

hominum opinioni videantur. Ceterum etsi ego gloriolam non aucuper, ita tamen animo comparatus sum, ut functos ornatos litteris Viros colere, ac ab eis etiam diligi in pretio habeam, idque ceteros etiam noscere, summopere desiderem. Vides quapropter id me facile hac tibi inscripta Praefatiuncula nunc consequi, uberiusque etiam consequuturum, si a te ea ipsa, & Elegia, quam eadem comitatur, tum editor etiam, qui ad te mittit utramque, libenter, & amice, quemadmodum enixe peto, excipiatur. Non ignoras profecto, FERRI *elegantissime, Porciorum domum Musarum domicilium fuisse, ut proinde non immerito illi Urbis loco, cui est a Minerva nomen, proxima fuerit. Ornabatur siquidem multis veterandae antiquitatis monumentis, anaglyphis nimirum, signis, & inscriptionibus, quarum elenchum recenset Ulysses Aldrovandius* (a)*, cuius aetate celebre erat in Porcia gente, quae duplex facta fuerat, tum Metelli Vari, tum Iulii nomen. Apud Gruterium quinetiam, aliosque inscriptionum collectores persaepe te offendisse puto inscriptiones in Porciorum Aedibus designatas, atque earum, quae adhuc superarant, cumulum nunc dono dedit Princeps Excellentissimus Andreas ab Auria, cuius familiae hae ipsae Aedes hereditate iam cesserunt,* CLEMENTI XIV. P. O. M. *veterum Monumentorum Conservatori eximio pro novo, quod ab eo exstruitur,*

(a) Statue antiche, che in Roma in diversi luoghi, & Case particolari si veggono &c. In Venezia 1562. *pag.* 242. *& seqq.*

tur, Vaticano Muſeo. Carminum autem laude praeſertim excelluit inter Porcios Camillus, quorum nonnulla edita proſtant, & a Proſpero Mandoſio deſignantur (a). *Fuit hic Eloquentiae Profeſſor in Archigymnaſio Romano, ac dein Epiſcopus Aprutinus; obiit vero anno* CIↃIↃXXII. (b). *De Paullo autem noſtro nullum ullibi teſtimonium deprehendere contigit. Hanc tamen ipſius ad Anellum Archamonium Elegiam, qua eidem pro officio in Cornelium Gentilem ſuum conlato gratum animum teſtatur, ac Codicem mittit ab ipſo exſcriptum, de quo mox dicam, excerpſi ex Cod. Ms. membranaceo ſaec. XV. in 8., qui olim fuit Cl. Viri τῦ μαγείτε Antonii Franciſci Gorii Florentini, quique dein a Ioſepho Monaldinio Bibliopola Romano comparatus eſt. Continet hic Codex, quem autographum dicere forte non dubitet aliquis, Orationes XVI. Italicas habitas a Stephano Porcio Florentinae Reipublicae Duce* (c), *quarum aliquas habet etiam Codex alter membranaceus Bibliothecae Capponianae, ut ex eius Indicis Appendice cognovi* (d) *De Stephano, celebri illius coniurationis auctore, quae Nicolao V. Pontifice Romae excitata eſt, nonnulla ad huius Elegiae calcem adnotata deprehendes, ut & de Cornelio, cuius*

(a) *Biblioth. Roman. Tom II. Centur. VIII n. 2. pag.* 149.

(b) *Vid. Ioſephum Carafam de Gymnaſio Romano, eiuſque Profeſſoribus, pag.* 309.

(c) Orationi compilate per el ſtrenuo Cavaliere M. Stephano Porcaro de Roma, eſſendo Capitaneo de Fiorenza.

(d) *Pag.* 449. *Cod. memb. ſign. num.* 10.

in eadem Elegia mentio occurrit. M. Porcium Catonem, a quo ſe Porcii prognatos praedicabant, nihil moror; ſunt enim haec pluſquam fumoſa ornamenta, quae nemo ſanus conſectetur. Ceterum antiquiſſimam hanc gentem agnoſcas ex Iuliano de Porcariis, cuius monumentum iam a ſaec. XII. habet Eccleſia S. Iohannis de Pinea, cui fere adhaeret vetus Porciorum domus, atque ipſum inter Romanas infimi aevi Inſcriptiones Vir Cl. Petrus Aloyſius Gallettius Abbas Congreg. Caſinenſis (a) *recenſuit. Habe ergo tibi, Amicorum optime, haec Paulli Porcii carmina, digna quidem iudicio tuo, ac tuis auſpiciis, deliciiſque. Sint & veteris in te ſtudii, meique amoris monumentum, cui ut pari amore reſpondeas, ſi peterem, amicitiae noſtrae iniurius eſſem, quam virtus aluit, ſinceritas confirmavit, quamque neque invidiam, neque ſimulationem, labes foediſſimas animorum, quae ab utroque noſtrum longe abſunt, labefacturas umquam, quovis pignore contenderem. Vale.*

Datis Romae XIIII. Kal. Iunias, ipſo die inaugurationis SSmi D. N. CLEMENTIS XIV. P. O. M., *qui ut auſpicatiſſimus ad multos annos redeat, boni omnes precantur, anno a Chriſto nato* CIↃIↃCCLXXIII.

PAUL-

(a) *Tom.* III. *Claſſ.* XX. *num.* I. *pag.* 397.

ANNO . DNI . M.° C. LXXXII. MESE MAII . DIE . XII. OB IIT . IVLIANVS DE . PORCARIIS . CVI AĪA . REQESCAT . Ī PACE

PAULLUS PORCIUS
ROMANUS POETA
AD D. ANELLUM ARCHAMONUM
EQUITEM AURATUM SPLENDIDISSIMUM

Illuſtriſſimi Regis Ferdinandi Oratorem clariſſimum (a).

SI tua fatales diffuderint fila ſorores,
Et peraget noſtros debita meta dies,

(a) *Hic fuit Orator Ferdinandi Siciliae Regis ad Sixtum IV., de quo eſt Epiſtola Card. Iacobi Amannati Piccolominei, qui Papienſis dictus eſt, Narciſo Theologo ſcripta, num.*520. *p.*254., *ubi narrat iurgia, quae inter utrumque exſtiterunt; atque haec potiſſimum ibidem de Anello habentur:*

Heri primum poſt reditum ſuum venit ad me Anellus Orator, & Regis nomine de Cardinalatu appellavit. Ut vaſtus corpore eſt, ita ad agendum animo praecipiti. Minatus eſt mihi, minatus Eccleſiae, ſi actutum Cardinalem non crearemus. Mihi quidem amiciciae regiae remiſſionem, Eccleſiae vero obliteracionem omnium in ſe meritorum. Si reddi amiſſum regnum peteret, pro innata modeſtia ea non diceret, quae in petendo tantum Cardinali haec inſulſa pecus denunciat ..... Corripui nominem graviter, & ſacerdotalis officii memor reſpondi ſtulto ſecundum ſtulticiam ſuam, ut ſibi ſapiens non videretur.

Anelle, ipſe dabo zephyris mea vela ſecundis,
Accingar laudes dicere, reſque tuas.
Quae numero ſuperant Aetnea in rupe favillas,
Etruſci fluctus, Hadriacique maris.
Uſque canam proavûm titulos, atque inclita geſta:
Archamona aevum vivet in omne domus.
Hoc faciunt ſacri divina mente poetae,
Quîs venit aetherea ſpiritus arce poli.
Alcidae memorant animos, duroſque labores,
Nec minus Auſoniae ſplendida facta togae.
Quis Lacedaemonios, quis nos, & bella Quiritum,
Dardanaſque nurus, Tyndareumque genus?
Effugit & flammas carmen, ſaevoſque tumultus,
Nec timet irati tela nefanda Iovis.
Haud ornant opibus mortalia pectora vates,
At diuturna magis dant monumenta viris.
Divitiae pereunt, atque alta palatia regum,
Cynthius, & ſemper Muſa ſuperſtes erit.
Candida te virtus extollet ad aurea caeli
Sidera, dulciſonis concelebrande modis.

Quam

Quam beneRex duri novitMavortis alumnus,
Qui gerit herculea fortia bella manu.
Italiae claras Orator regius urbes
Dum peteres, tantus ſederat ore lepos,
Quantus erat Pylioque ſeni, regique benigno,
Hunc coluere Patres, Romuleumque forum.
Deliciaſque vocant hominum, mundique decorem,
Cui data pro meritis regna fuere Deûm.
Aequoreae gentes Veneti, quo celſa Senatus
Regia, & Inſubres, Tyreſidiſque ſolum.
Te laudant fulvuſque Leo, pariterque gemelli,
Quos Lupa Tyrrheni pavit ad amnis aquas.
Heſperis ora canet ſemper facundia linguae,
Quanta tua fuerit, Caeſareuſque vigor:
Quantus amor populis: quin & te barbara tellus
Effundet gentis lata per ora ſuae.
Nunc etiam Siculi peragis ſublimia Regis:
Perpetuo cernet tempore Roma patrem.
Tanta fides, tanta eſt animi praeſtantia magni,
Ut ſolus poſſis ipſe placere duci.

Pontificique ſatis proponere maxima Sixto,
Qui tenet aeternae clauſtra, feraſque domus.
Commendant ſacri Patres, & curia tantum,
Ut ſis iam meritis clarus in orbe tuis.
Aſpirent ſuperi, precor, & tua facta fecundent,
Lugubri videas tempora nulla die.
Cuius ego egregias dotes, & geſta reponam,
Atque aderit notis Daelius uſque meis.
Me tibi non minimum ſemper debere fatebor,
O lux aequoreae, ſpeſque, nitorque plagae,
Totaque progenies, quam Porcius edidit olim
Ille Cato (a) ſplendens ſolus in urbe iubar.
Nuper enim noſtris ingens clementia favit,
Dum tu non notis verba benigna refers.
Tempus erat, nitidas feſſus remearat ad aedes,
Dempſerat & rapidis iam iuga Phoebus equis.

Luci-

(a) *M. Porcius Cato veteris Porciae gentis princeps, qui Priſcus primo, dein, quia multarum rerum uſum haberet, Cato, teſte Plutarcho in* Catone Maioré, *appellatus eſt; quemadmodum & Cenſorius dictus eſt a cenſura ſevere adminiſtrata. Vid. Ciceronem* de Officiis *lib.III. 4., & de Divinat. cap.21.*

Lucidaque in toto radiabant ſidera olympo,
Cuncta penetrabat corpora dulce ſopor.
Porcia quem genuit ſoboles, Cornelius (a) hic eſt,
Maxima ſpes generis, Romulidiſque decor.
Extemplo tanti Patris ſublimia tecta
Ipſe petit pariter, Caeſareoſque Lares.
Panduntur ſubito poſtes: data copia fandi,
Poſcebant nullas reſque, locuſque moras.
Immeriti arcebant iuvenis nam vincula palmas,
Et miſeros etiam lignea clauſtra pedes.

(a) *Forte hic eſt Cornelius Porcius, qui primus pro dotandis pauperibus Puellis Sodalitatem SS. Annunt. ex aſſe heredem inſtituit. Vid. Monumentum in S. Mariae ſupra Minervam apud cl. Gallettium* Inſcript. Rom. *Tom. II. Claſſ. XIV. n. 354. pag. DCVI. Tempora certe non repugnant; nam in Archivo einſdem Sodalitatis exſtat Cornelii Porcii teſtamentum, quod exaravit Ludovicus Faneſtius Piſaurenſis Notarius a. d. XV. Kal. Sextiles ann.* MCCCCLXXXVIII. *Ibidem etiam habetur Summa Brevis Innoc. PP. VIII. dati poſtridie Nonas Maias anni* MCCCCLXXXVII. *de Arce Beneventana a Cornelio Porcio tradenda Auguſtino Bongiomellio.*

Res horrenda quidem ! primo ſub flore iuventae
Ardebat Praetor ſcindere forte caput
Illius, aut valido circumdare colla capiſtro;
Turpiter extrema quo cadat ille die,
Quem tua progenuit placidis cum montibus ora,
Ora cothurnatis ſemper amata Deis.
Accipis omne nefas, nec te fugere dolores;
Ingenuos cruciant nam malefacta viros.
Quas tibi protulerat iuvenis mihi ſanguine iunctus,
Moverunt animos, & tua corda preces.
Hae quoque plus Patria valerent, addis honores,
Continuo repetat propria tecta iubens.
Poſtera fulgebat terras Aurora per omnes,
Liquerat & tremuli languida membra ſenis.
Anxius aſcendis Sixti tu culmina Quarti,
Qui tribuit populis iura benigna ſuis.
Concidis ante Patrem ſumma gravitate beatum,
Et pedibus praebes oſcula digna ſacris.

Ordi-

Ordine rem pandens, ſceleris quoque cuncta nefandi,
Dentur ut immerito triſtia damna, fremis.
Tanta tibi virtus; princeps tua vota capeſſit,
Et deſideriis annuit ille tuis.
Supplicium prohibet, ſolvi quoque vincula mandat,
Redditur afflicto, te duce, vita reo.
Cuncta tuos ornant, vir praeſtantiſſime, ſenſus,
Dignus & es toto ſemper in orbe cani.
Non minus ac Latiis profugus Saturnus in oris,
Grandivuſque ferox, Iliadaeque duo.
Troius Etruſcae generoſae conditor Urbis,
Cui niveos Griphes, ſplendida ſigna dedit.
Noſtra tuum ſemper tollet ſuper aethera nomen
Progenies, proavos, & tua geſta canet.
Munere pro tanto numquam mea Muſa tacebit,
In longa dicam poſteritate modos.

Perle-

Perlege, quaeſo, lubens ſolita virtute libellos,
Quos tibi Corneli mittit amica manus:
Aurati aſpicies equitis lepidiſſima verba,
Quîs oblectabat pectora cuncta virum.
Porcius heſperiis, pariter celebratus eois,
Stephanus (a) in Latia gente ſupremus erat.
Perlege, ſuſcipies placidae modulamina linguae,
Inde vale, & noſtri ſis, precor, uſque memor.

CAN-

(a) *Vid. Leonis Bapt. Alberti Commentarium de Coniuratione Porcaria (tempore Nicolai V.) in Tom. XXV.* Script. Rer. Italic. *Muratorii a col.* 309. *ad* 314., *ubi haec de Stephano Porcario habentur*: Stephanus Porcarius Eques Romanus, homo animi utinam tam moderati, quam erat ingenio praeditus docili, & lingua ad dicendum paratus, per eos dies, quibus Eugenii Pont. Max. funus celebrabatur, ſuos ad Cives pro concione orationem habere inſtituit non minus vehementem, quam turbulentam. *De Stephano ibidem & alia narrantur*; *Mittitur nempe Stephanus a Nicolao V., qui Pontifex ſucceſſit, pro ſua clementia Pro-Praetor in Hernicos*; *ſed reverſus novas turbas Romae excitat. Quare in exſilium Bononiam mittitur*; *at mox furtim redit, praemittens Romam Nepotem, ac novos tumultus excitat. Stephanus capitur, & ſuſpenditur*; *Nepos vero fugit. De hac coniuratione conſuli etiam poterit cl. Dominicus Georgius in vita Nicolai V.*

CANZONE
DI MESSER GIOVANNI ANDREA
DELL' ANGUILLARA
A CATTERINA DE' MEDICI
REINA DI FRANCIA
Con tre Sonetti creduti del medeſimo
UNO
A CARLO IX
RE CRISTIANISSIMO
E GLI ALTRI DUE SULLA MORTE
DEL CARD. VITELLOZZO VITELLI.

Digitized by Google

AL CORTESE
NOSTRO LEGGITORE.

SE tu non aveſſi altr' idea del talento poetico di Giovanni Andrea dell' Anguillara, che la preſente Canzone, tu ne avreſti un' aſſai meſchina. Sovvengati della bella ſua Verſione delle Metamorfoſi, e del primo Libro dell' Eneide, che t' indicai in queſti Anegdoti nella Prefazione a Monſig. Zondadari, e vedrai, che Giovanni Andrea ſe non era gran Poeta, era certo leggiadro, e felice Verſificatore. Io non dubito, che non ſia egualmente bella anche la Verſione pure in ottava rima, che egli fece dell' Arte di amare d' Ovidio, la quale inedita, e ſcritta di ſua mano conſervaſi in Ferrara (a). *Queſta Canzone però ho voluto darti per due ragioni; la prima, perchè contiene alcune notizie iſtoriche di Catterina Regina di Francia, e di quegli orridi tumulti, che tanto inſanguinarono quel Regno ai funeſti giorni di Carlo IX.; la ſeconda, perchè in eſſa vedrai, che l' Anguillara era ſtato in Francia, anzi in Parigi; circoſtanza, che forſe ſarà nota ad altri, ma che io certamente ignoravo. Il Sonetto, che vien dopo la Canzone, dovrebbe eſſere parto pur dell' Anguillara,*

(a) *Vedi la Lettera ſeconda del P. Stefano Marcheſelli ſulla Collezione Peſarese de' Poeti pag.* 54. *Tomo* XXII. *della Nuova Raccolta Veneta di Opuſcoli.*

Lara, perchè trovato anneſſo alla Canzone iſteſſa, che porta il ſuo nome in un' antico Ms. appartenente già al celebre Monſig. Felice Contelori, come pure gli altri due, che ſono ſulla morte del Cardinal Vitellozzo Vitelli, di cui parlo in una nota, e che precedono la indicata Canzone nello ſteſſo Ms., da cui e queſta, e quelli io ho tratto. Ti parerà il primo probabilmente un pò troppo zelante; ma così parlavaſi a que' giorni calamitoſi. Loda Iddio con noi, che ſiamo nati in un ſecolo più tranquillo, e godine a vantaggio delle lettere, e degli amici.

ALLA

ALLA CRISTIANISSIMA
REINA DI FRANCIA
CANZONE
DI MESSER GIOVANNI ANDREA
DELL' ANGUILLARA.

ALma di fede armata, e di quel lume,
Che le coſe diſcorre, intende, ed opra,
E perch' è raro in te, ſei rara in terra,
A cui diè l'Arno già per patrio fiume,
Quando t' accinſe quei, che regna ſopra
A l' opre umane, alla terrena guerra,
Poi dove il Pirenco con l'Alpe ſerra
Quel regno fra duo mari, anzi quel mondo,
Che dà perpetuo omagio ai Gigli d'oro,
Dal ſanto Conciſtoro
Foſti a portar eletta il Regio pondo,
Pria d'Enrico Secondo
Conſorte fida, ed or del Nono Carlo
Diletta Madre, per tua gloria aſcolta
Quel, che di nuovo io parlo
Del valor, ch'io cantai più d' una volta.

Mira-

Mirabil fra le doti alme, e reali,
Ond' il tuo ſenno ornar' natura, e Dio,
Sopra ogni altra virtù fu la prudenza,
La qual' è dono in te patrio, e natio,
Che in queſto i Padri tuoi tutti fur' tali,
Che ſe ne gloria anch' oggi Arno, e Fiorenza;
Tale ha ſplendor queſta virtù, che ſenza
La luce ſua, le ſue ſante ſorelle
N' andrebbon come cieche al proprio obietto
De l' abito perfetto,
E non ſi moſtrarian sì vaghe, e belle,
Se le virtù ſon quelle,
Che di glorie immortali ornano un'alma.
Felice te, che tanto orni il tuo nome
Di quella unica, ed alma
Virtù, che tutte l' altre illuſtra, e come!
Quando l' eterno Dio ti fe Conſorte
Del ſempre invitto, e glorioſo Enrico,
A pien fe noto il tuo valor, e merto;
Molt' anni ſi moſtrò non molto amico
Al tuo felice Franco, acciò, ch' il forte,
E ſaggio animo tuo ne fuſſe aperto,

E qual

E qual poteaſi aver ſegno più certo
Del tuo coſtante cuor, poichè con tanta
Fede al tuo Spoſo, e Re deſti conſiglio,
Che per l' aurato Giglio
Facea, che d' altra più felice pianta
Alla ſua regia, e ſanta
Stirpe, cercaſſe farſi un nuovo Padre?
Ma Dio, che tanto fida, e tanto accorta
Ti ſcorſe, ti fè Madre,
E tal, ch' invidia ogn'altra oggi ti porta.
Taccio con quanta dignitade, e ſenno
Al magnanimo tuo Signore, e Spoſo,
Mentre viſſe fra noi, fuſti conforme,
E come ſol da te nacque il ripoſo
Del regno, allor che l' altrui gare denno
Nove leggi al governo, e nove forme,
E come ſola tu prendendo l' orme
Più dritte, più lodate, e meglio inteſe,
Che ti moſtrava il tuo natio diſcorſo,
E in un ſoave morſo,
Per raffrenar l' ingiuſte altrui conteſe,
Perchè quell' alte impreſe
Bramo, che ſiano il mio novo argomento,

Che dopo il mio partir fur la tua lode,
E per quel, ch' io ne ſento,
Fur tali, e ſon, che fan ſtupir chi l' ode.
Quando la ſetta empia, importuna, e nova,
Al ſuo Re guerra, ed al tuo Figlio moſſe,
E in Francia partorì tanta ruina,
Che fè del ſangue uman le glebe roſſe;
Quel lume interior, che par non trova,
Ch' in te locò la Maeſtà Divina,
Tale, e sì dolce far ſeppe rapina
Di tutti i cuor, che l'una, e l'altra parte
T' ebbe per giuſta, e di ſincera mente,
Talchè la tua prudente
Maniera al fin placò quel crudo Marte.
La tua mirabil' arte
Più volte all'empio ſtuol frenò l'orgoglio,
Che non diè luogo al ſuo non fido ſdegno,
E fuſti ſcudo, e ſcoglio, (gno.
Ch'al tuo Figlio, ed a Dio ſalvò quel Re-
Quanto la Chieſa t' abbia obbligo, e Roma,
Sallo Dio, Roma il dice, e 'l Mondo il vede,
E 'l Mondo, e Roma, e Dio te ne ringrazia,

Co-

Come vera colonna della Fede,
La qual col tempo, e col consiglio do-
ma
La turba infida, e di mal far non sazia.
L'aura celeste, e la divina grazia
L'alma, per quel ch'io credo, ognor
t' ispira;
E come altro potrei creder giammai,
Se ciò, che pensi, e fai,
La salute del Mondo intende, e mira?
Or se t'ama, e t' ammira
Roma, la Chiesa, il Mondo, e 'l Re del
Cielo,
Dalla tua gran bontà tutto t'avviene,
Poichè il tuo santo zelo
Cerca d' ognun l' onor, la pace, e 'l
bene.
Ma ben t'ispirò Dio l' onor, la pace,
E 'l vero, e 'l sommo ben degli aurei Gi-
gli,
Quando per nuovo Protettor prendesti
Del regno Franco, e de' suoi propri fi-
gli,

Il gran Vitellio (a), il cui pronto, e vivace
Spirto fra tanti Eroi ſceglier ſapeſti,
Ch' oltre, che fra l' ingegni accorti, e deſti
Forſe oggi è il primo, oltre i ſuoi veri modi,
Onde conduce a fine ogn' alta impreſa;
Oltre, ch' ha l' alma acceſa
Di ſomma carità, di ſomme lodi,
Qual ſangue è, che ſi lodi
Di tanti egregi Cavalier' invitti,
Quanti n' ha il ceppo ſuo prudenti, e forti,
Quanti Marte n' ha ſcritti
Fra quei, che ſon per l'aureo Giglio morti?

Que-

(a) *Queſti è il Card Vitellozzo Vitelli di Città di Caſtello, che fu Protettore del Regno di Francia. Paolo IV. dopo tant' altre dignità ſoſtenute il fece Cardinale l' anno 1557., ma morì ben preſto in età di ſoli 37. anni ai 19. di Novembre del 1568., e fu ſepolto nella ſua Diaconia di S. Maria in Via Lata. Due Sonetti ſi hanno ſulla ſua morte nel Ms., che contiene queſta ſteſſa Canzone, quali ſi credono dell' Anguillara medeſimo, e che daremo in appreſſo.*

Queſti nuovi Affricani, e nuovi Marti,
Di cui và il Tebro altier, di cui ſi glo-
ria
Col ſenno, col valor, con l'arme in
mano
In alte impreſe, e d'immortal memoria,
Non men, s'uopo n'avrai, ſon per gio-
varti,
Del nuovo eletto Protettor Romano!
E s'egli oprar ſaprà nel Vaticano
Con arte, e con diſcorſi accorti, e gravi,
Fra quei canuti Padri il ſommo onore
Del Regio aurato Fiore;
Queſti altri pronti avran cavalli, e navi
Contra gl'ingiuſti, e pravi,
Che al chiaro ſangue tuo vorran far
torto.
E ben con l'occhio intento di Minerva;
Quanto ſia ben hai ſcorto
A farti tal milizia amica, e ſerva.
L'è ver, ch'a gran felicità n'induce
L'amor'univerſal, la fama, e 'l grido;
Che partoriſce maraviglia, e laude.

Alma non è, ch' alberghi in mortal nido,
Più felice di te, poi ch' ogni luce
D' immortal gloria al tuo gran nome ap-
plaude,
Superata hai l' invidia, e l' altrui fraude;
E ſe mentre talor n' avvenne il peggio
Del darti colpa alcun fu pertinace,
Oggi o ti loda, o tace.
Per prova il poſſo dir, ch' il vidi, e 'l
veggio,
E ſempre quel, che deggio,
Ne diſſi, e dico. E chi fia quel sì cieco,
Che danni or le tue impreſe alte, e di-
vine,
Se Criſto è ſempre teco;
Se tutte l' opre tue loda il lor fine?
Se perch' io non tornaſſi altri m' incolpa,
Canzon dì, che la colpa non fu mia,
Che la nuova di Dio nemica ſetta
Tutta ſangue, e vendetta,
Che turbò in Francia il buon ſtato di
pria,
A me troncò la via,

E s' or

E s' or di nuovo a gir non m' apparec-
chio,
Ben' ardente desìo mi ſprona, e punge,
Ma com' infermo, e vecchio
Potrei paſſar tant' Alpi, e gir sì lunge?

SONETTO I.

A CARLO IX.

RE CRISTIANISSIMO.

SEgui Principe invitto, e ne' perigli
Te ſteſſo avanza, e il tuo gran fato adempi,
Fiedi, e ancidi i malvaggi, i ſozzi, e gli empi,
Di Plutone, e d' Aletto amati figli.

Moſtra pietà, valor, forze, e conſigli
Eguali al nome, ond'hai sì chiari eſempi:
Rendi all'Are gl'incenſi, e 'l culto a' Tempi,
Ch' indi ebber vanto i tuoi famoſi Gigli.

Spegni l'Idra, apri il varco, e purga il loco,
Donde ella uſcì, già tutto 'l Mondo infetta
Col toſco ſuo queſto eſecrabil' angue.

Segui, e Magno diventi, al ferro, al foco
Chiama teco i tuoi pari, e di vendetta
Non più vittime ormai del noſtro ſangue.

SONETTO II.

ALL' ILLUSTRISS. E REVERENDISS. PRINCIPE
IL SIG. CARDINAL DI TRENTO (a)
PER LA MORTE
DEL CARDINAL VITELLI.

SAggio sacro Signor, tu ch'altamente
Volti l'antiche, e le moderne carte,
Vedi quanto può il Ciel, natura, ed arte,
Ovunque giunge nostra eterna mente.

Mira come da noi rapidamente
Un nostro caro ben se 'n vola, e parte;
Come nostre grandezze a terra sparte,
Tosto polve verran, che nulla sente.

Qual nuovo Sol di virtù raggi ardenti
Sparga questo bel Spirto illustre, e caro;
Ed empia nube n' ha privi in un punto.

Che porge altro, che noie, e pianto amaro
Il tristo Mondo? ei negli alti, e lucenti
Scanni trionfa al suo Fattor congiunto.

SO-

(a) *Il Card. Cristofano Madruzzi gran Protettore del Poeta.*

SONETTO III.

SOPRA

IL MEDESIMO ARGOMENTO.

CAduto è il gran Vitellio, e ſeco ha viſto
Cader la Chieſa un ſuo forte ſoſtegno,
E 'l ſuo buon Protettor perduto ha il Regno
Di Francia, ond'or ſia più dolente, e triſto.

Con eloquenza avean tal valor miſto
Natura, ed arte, in così raro ingegno,
Ch' ei ſol ſpegner potea 'l furor indegno
De l'empio ſtuol tanto nemico a Criſto.

Sallo il gran Padre Pio, ch' al duro caſo
Pianſe, ancor ſallo il nuovo ardito Carlo,
Che difende or l' univerſal ben voſtro.

E ſallo Roma, e 'l Mondo, che rimaſo
In tenebre, dovrà ſempre ammirarlo,
Qual de gli uomini altero, e raro moſtro.

DEFINITIO FINIUM
AGRI TUDERTINI

Inter Comitatum Spoletanum, Bevanatem,
Assisinatem, & Perusinum

EX AUCTORITATE

DESIDERII LANGOBARDORUM REGIS

QUAE

EX CHARTULARIO ARCHIVI PUBLICI TUDERTINI

SAEC. XIII

NUNC PRIMUM PRODIT.

Digitized by Google

IOHANNIS CHRISTOPHORI AMADUTII
AD SPECTATISSIMVM VIRVM
IOHANNEM BAPTISTAM ALVIUM
ECCLESIAE TUDERTINAE CANONICUM
PRAEFATIO.

QVAE tui humanitate, ac beneficio, ALVI ſpectatiſſime, quotieſcumque vetuſtiſſimam iſtam Vrbem, eiuſque meritiſſimum Epiſcopum Franciſcum M. Paſinium adire contigit, in inſtructiſſimo publico veſtro Tabulario conſulere, atque exſcribere mihi licuit, quaeque nunc publici iuris facere libet, ingratus eſſem, niſi tibi inſcriberem, tuoque nomine inſignirem. Maiora quidem tribuenda a me eſſent eximiae tuae in me humanitati, ac multiplicibus meritis, quibus me comiter, ac ſedulo devinxiſti. Verum nec ego is ſum, qui ſupra vires aliquid conari audeam, nec tu is es, qui a me maiora exſpectes, ut potius leviora haec ipſa libenter te excepturum pro millibus, facile confidam. Quare, ut Lector ea deprehendat, quae hac de re ſcitu ſunt ipſi neceſſaria, nunc tibi ea ipſa ſubiiciam, quae iam tu probe noſti, quaeque tui indicatione mihimet etiam innotuerunt. Exſtat haec Definitio Finium Agri Tudertini in Regeſto, ut aiunt, ex charta pecudina, quod in Archivo iſto tuo (a) aſſervatur, & in quo Inſtrumenta varia praeſer-

(a) *Regeſt. Inſtrum. pag.* 15.

praeſertim ſaeculi XIII. *exarata continentur. Vetus eiuſdem autographum exſtabat in Tabulario Eccleſiae ipſius Tudertinae, ex quo in laudatum Regeſtum traductum fuit. Teſtis eſt inſcriptio, quae eidem Inſtrumento praefigitur* (a). *In hoc vero Regeſtum iam illud intulit Sacri Imperii Notarius Iohanninus de Colazzone Agri Tudertini anno* CIↃCCLXXXI., *ut ex ſubſcriptione intelligimus* (b). *Neque hoc dumtaxat apographum in Tabulario Tudertino nunc proſtat, ſed aliud etiam habetur in Inſtrumento rogato per Franciſcum Dñi Bartoli de Tuderto die* XXVII. *Iunii anni* CIↃCCXCIII., *cum Univerſitas Caſtri Iani congregata in Platea dicti Caſtri conſtituit Aldrovandinum Silveſtri de dicto Caſtro in Syndicum ad declarandum terminos inter Territorium dicti Caſtri, & Comitatum Tudertinum ad tramites Deſiderianae Termi-*

(a) In nõie Dñi añ. hoc eſt exemplum cuiuſdam ſcripture invente in quodã folio carte inter alias ſcripturas Dñi Epiſcopi, & Epiſcopat. Tudertin. &c.

(b) Et ego Ioanninus quondam Dñi Bonifatii de Colazzon. filius Sacri Imperii Notarius ſicut in dicto folio inveni, ita diligenter, & fideliter exemplavi, & regiſtravi mandato, & auctoritate Dñi Sancti de Burgo Sancti Sepulchri Iudicis, & Vicarii Civitatis Tuderti per nobilem Virũ Dñm Iaconũ de Iaconis Poteſtatem dicte Civitatis ſub ann. Dñi milleſimo ducenteſimo octuageſimo primo indict. I. Sañ. Eccleſia Roman. Paſtore vacante die XXII. menſis Febr. in Palatio dicti Communis Tudert. corã Dño Agatho Dñi Petri, & Iohannutio Dñi Thomaſſi teſt.

Terminationis ; quemadmodum idem Notarius Franciſcus Dñi Bartoli die XXVIII. eiuſdem menſis , & anni ſimile Inſtrumentum condidit , cum Maſſaronus Silveſtri de Caſtro Monticuli nomine dicti Caſtri Terminationem hanc recognovit ; quod ipſum denuo in charta pecudina excepit Iacobus Simeonis de Tuderto die XV. Novemb. anno CIↃCCCXX. Verum ut ad tempus veniam , quo Terminatio haec ipſa primum peracta eſt , iam patet ex anno IV. Regni Deſiderii , quem ipſa praefert , ad annum Chriſti DCCLXIII. *eſſe amandandam , quandoquidem Deſiderius regnare coepit anno* DCCLX. *Aſt nunc difficultatem creat Indictio XIII. , quae laudato anno IV. copulatur , cum ea nimirum anno I. , nempe Chriſti anno , quem diximus ,* DCCLX. *decurreret ; atque anno IV. Deſiderii , qui fuit VII. Paulli Romani Pontificis , ac Chriſti* DCCLXIII. *, Indictio I. haberetur . Niſi ad Notarii oſcitantiam hoc anachroniſmum referas , nil aliud forte veroſimilius excogites . Nonnulla de hac Terminatione attingit etiam Felix Ciattius Minorita Conventualis in Peruſia Pontificia* (a) *; quod tu certe , qui es ſolertiſſimus Patriarum Antiquitatum promuſcondus , nequaquam ignoras . Dum interim male audit Decretum Deſiderii Italiae Regis , quod Viterbii prope Epiſcopales Aedes charactere Langobardico marmore inſculptum proſtat , quodque Felicianus Buſſius in ſua Viterbienſi Hiſtoria , tum Merula in Coſmographia , Gruterius in Inſcriptionum Theſauro* (b) *, aliique bene-*

(a) Perugia Pontificia. *Lib. III. pag.* 114. In Perugia 1638. *Part. IV.*

(b) *Pag.* CCXX.

benemulti protulerunt ; hoc nunc habeant eruditi eiuſdem Deſiderii Decretum finium regundorum Agri Tudertini , cui certe falſitatis notam nemo ſanus inferre audeat. Tu interim bene vale , ALVI ſuaviſſime , meque amare perge .

Datis Roma Kal. Iunii anno a Chriſto nato CIↃIↃCCLXXIII.

DEFI-

DEFINITIO FINIUM AGRI TUDERTINI

EX AUCTORITATE

DESIDERII REGIS LANGOBARDORUM.

